Helder

NSFW

DE ARISTOPHANIS IN NUBIUM FABULA CONSILIO ATQUE ARTE.

J. HELDER.

De Aristophanis in Nubium fabula consilio atque arte.

DE ARISTOPHANIS IN NUBIUM * * * * * FABULA CONSILIO AC ARTE.

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE QUOD EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI DANIELIS JOSEPHUS JITTA JUR. DOCT. ET IN FAC. JUR. PROF. NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO PRO GRADU DOCTORATUS SUMMISQUE IN LITERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS IN UNIVERSITATE AMSTELODAMENSI RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS PUBLICO EXAMINI SUBMITTET

JANUS HELDER JACOBI FILIUS
E PAGO PIETERBUREN, DIE XII. M. MART. ANN. MDCCCCI HORA III IN AULA ACADEMICA. * * * * * * * *

HARLEMI
APUD J. L. E. I. KLEYNENBERG.
MDCCCCI.

MATRI CARISSIMAE

OPTIMIQUE PATRIS PIAE MEMORIAE.

PRAEFATIO.

Fieri non potest, quin studiis Academicis finem imposituri eiusdem generis moveamur affectibus atque iis, quos in oratione pro Cn. Plancio habita Cicero tam simpliciter sincereque expressit: „Quis est nostrum, liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magistri sui atque doctores, cui non locus ille mutus, ubi ipse alitus aut doctus est, cum grata recordatione in mente versetur?"

Quid mirum, vir clarissime Naber, me gratissima cum recordatione colere memoriam institutionis tuae, benevolentiae, consiliorum.

Vobis etiam, viri clarissimi Karsten, Valeton, Spruyt, Van den Es, quorum ut fruerer lectionibus mihi contigit, nec non tibi, vir clarissime Six, cuius benevolentia saepius mihi apparuit, ex animi sententia palam gratias ago habeoque sinceras.

Restat ut te, promotor aestumatissime, vir clarissime Kuiper, palam alloquar. Quantum tibi debeam, inprimis ex eo apparet, quod, licet meae Nubium fabulae interpretationi minime assentiaris, tamen ubivis in animum ac sententias meas penetrare teque insinuare studuisti, tuisque observationibus obiectationibusque acutis me identidem coegisti, ut novis argumentis adhibitis opiniones meas probarem. Cordi nimirum tibi erat ne temere opusculum meum in lucem emitterem. Et ipsum me èt libellum meum ex tuis consiliis multum cepisse lucri, vix est quod moneam. Etsi lectionibus tuis interesse mihi non licuit, tamen tuae doctrinae, humanitatis, benevolentiae numquam obliviscar. Spero fore ut mihi, de quo iam optime meritus es, etiam in posterum favere pergas.

Postremum Bibliothecarum Amstelodamensis, Groninganae, Bumensis, Regiae Academicae praefecti grati mei animi accipiant testimonium pro benevolentia qua mihi libros commodare voluerunt.

ἄνευ γὰρ γελοίων τὰ σπουδαῖα καὶ πάντων τῶν ἐναντίων τὰ ἐναντία μαθεῖν οὐ δυνατόν, εἰ μέλλει τις φρόνιμος ἔσεσθαι.

Plato Legg. VII p. 816.

PROOEMIUM.

De singulorum civium libertatis studiis reipublicae saluti saepe oppositis.

Numquam desinent inter sese discordare atque discrepare summae illa perfectionis imago animo mortalium informata ac rerum vitaeque natura ipsa. Nec magis umquam continget componere pugnam, quae inter singulorum commoda atque universae reipublicae summam solet intercedere salutem. In perpetuum illae dissensiones illaque pugna poetis et philosophis cogitationum commentationumque praebebunt materiem; quae commentationes, dummodo vulgi captui sint accommodatae, civium animos numquam non commovebunt ac detinebunt. Suscitat autem et alit poetarum, philosophorum, multitudinis animi attentionem ipsa controversiarum reconciliandarum difficultas; nempe veritatis studio et amore magis teneri solent mortales quam ipsa veritatis possessione. Neque vero poetae et philosophi semper quid sit verum disputando demonstrare posse sibi videntur; de veritate investiganda desperantes saepe id agunt ut, in dramatis aut dialogi formam cogitationes suas redigentes, inter diversas fabulae personas dividant quae in utramque partem aut ab omni parte cupiant disputari.

Inde ab antiquissimis temporibus utrisque cordi erat singulorum civium ac reipublicae reconciliare commoda

aut saltem illius pugnae causas investigare. Eam controversiam Protagoras spectavit, cum notum illum nobis tradidit mythum, satis ingeniosum, attamen accurate legenti ac perpendenti multa continentem absurda. Eadem discordia commotus Plato philosophus – an dicam poeta? – cogitatione sibi finxit reipublicae formam novam; quam cum ad usum non multum valere arbitrarentur reipublicae instituendae peritissimi – putant enim Platonem magis civis singuli quam rerum ipsius naturae habuisse rationem – Utopiae fere instar habuerunt.

Aristophanes, qui itidem rationes inter cives ac rempublicam animo volutavisse vere existimatur, somnia aut — si mavis – arces aerias sibi fingere amabat, eo autem consilio ut auditoribus, translatis in mundum commenticium, – ut e. gr. in Avibus, a deorum arbitrio civitatisque incommodis liberatum, – ostenderet societatis, morum, institutorum vitia, vitaeque humanae in universum angustias exiguitatemque. Sic in Nubibus — ut postea videbimus — spectatores transfert in mundum, qualem plebecula libenter sibi fingere solet, ut ostendat talem mundum inter mortales eosque cives exstare non posse.

Quantum hac in re et ipsius Aristophanis et ceterorum comicorum Atticorum valuerit ingenium, quid poetis, quid universo Atheniensium populo debeatur, optime v. cl. R. PÖHLMANNUS (die Soziale Dichtung der Griechen [1])) mihi videtur denotasse:

„Die phantastische Ausgestaltung (des) zauberhaften Märchenlandes ist gewiss wesentlich das Werk der Komödie. Aber wie die heitere Muse überall dem wirklichen Leben und Empfinden des Volkes nachgeht, mit dessen Schwächen ihr Humor sein freies Spiel treibt, so hat sie gewiss auch

---

1) Neue Jahrb. f. d. Kl. Alt. Illberg und Richter, 1898 Heft 1.

hier nur die Fäden weiter gesponnen, welche bereits die Phantasie des Volkes geknüpft [1]). Die Schlaraffia der Komödie ist nur die groteske Ausgestaltung einer volkstümlichen Sozialphilosophie und zugleich die geistvollste Satire, die ihr zu Theil werden konnte.

. . . Im Kommunismus der Massen überwiegt immer das *individualistische Interesse*, der Gedanke an die Freiheit von dem Zwang des Dienens und der Arbeit und an eine möglichst schrankenlose Befriedigung aller Bedürfnisse und Begierden. Das grösste Glück der grössten Zahl, d. h. das Glück in der derb sinnlichen Gestalt, wie es die grosse Mehrheit versteht: das ist der Grundton, auf der dieser plebejische Utopismus gestimmt ist."

Si igitur nobiscum reputamus, quid in comoedia Attica nos inprimis soleat tangere, apparet poetam populi se accommodare voluntatibus [2]), spectatores in terram fabulosam, omni singulorum civium desiderio satisfacientem, transferendo. Simul autem, dum spectatores, in fictum rerum statum translati, hilari animo ab omnibus vitae angustae curis per exiguum tempus liberatos se sentiunt, libenter poeta occasione uti solet, ut magis minusve acerbe ostendat, quantopere a mundo illo commenticio distet rerum status, quem cotidie Athenis propriis cernere liceat oculis. Interdum e contrario — de Nubium argumento loquor —

---

1) Prorsus eodem modo Kaibel iudicat de Aristophaneis comoediis in Lexico, quod inscribitur Pauly's Real-Encyclopädie s. v. Aristophanes, 1896, p. 979:

„Die Sehnsucht, aus dem Elend des Alltagslebens heraus zu kommen, hat der Komödie oft Anlass gegeben, ein utopisches Schlaraffenland zu zeichnen, aber höher als dies volkstümliche Märchenmotiv steht die Idee, einen neuen zwischen den Göttern und den Menschen in freier Luft gelegenen Staat zu gründen, Wolkenkuckucksheim genannt, der schlieszlich aber doch völlig die Gestalt Athens annimt."

2) cf. Part. I Cap. I § 2, pag. 31.

aperte ostenditur, ad quam absurdos rerum status necessario perducant effrenata illa singulorum civium studia, propriae tantum libertatis commodique causa suscepta.

Quia poetae eique comico nihil optabilius ad vitae dolorum paululum temporis obliviscendum, neque quidquam magis innocuum videri dixerim quam cogitare de terris fabulosis, nimium tribuere èt populi cogitationibus de terra quadam fabulosa èt poetae ipsius in illis impugnandis pertinaciae mihi videtur v. cl. PÖHLMANNUS, qui contendit (pag. 31): Ecclesiazusarum fabulam esse „ein Zerrbild, das in Äusserlichkeiten grotesk übertreibt um den plebejischen Kommunismus *dem Fluch der Lächerlichkeit preis zu geben.*" [1]) Errabimus, cum semper et ubique pro seria disputatione accipiemus quae poeta lascivo ingenio indulgens ideo tantum finxisse videtur ut risum moveret. Ostendit sane saepissime poeta noster re vera esse non posse, quae plebecula libenter somniat; annon somnia illa *ridendo* voluerit *impugnare*, dubitaverim. Poetae enim ipsius est somnia sibi fingere, quae quia reapse exstare non possunt, spectatores sine dubio magis afficiunt gaudio quam damno civitatem. Cave igitur credas Aristophani necesse esse visum ut plebeculae somniis acerrime resisteretur. Id philosophi severi vel austeri politici esse crediderim.

---

1) Valde miramur v. cl. PÖHLMANNUM, Dietzelio assentientem, bonorum ac mulierum communionem in fabula Ecclesiazusarum rem summi momenti considerare, mulierum autem ipsum imperium umbrae innocuae instar ducere: „Ein harmloser Spuk ist natürlich (!) die Weiberherrschaft. Sie dient nur zur Steigerung der Komik und zugleich als wahrhaft genial erdachtes Mittel, um den Übergang von der alten Gesellschaft zum Zukunftsstaat völlig unblutig und in heiterster Weise sich vollziehen zu lassen." Studet v. cl. Graecae plebis ad meliores vitae condiciones inclinationum vestigia indagare; licetne hanc ob causam quae disputationi utilia videntur seria, alia autem iocosa, i. e. in facetiarum tantum innocuarum numero habere?

Tribuitne Pöhlmannus revera tantum Utopiis, quantum ex hoc de Ecclesiazusis iudicio conjecimus? Habuitne revera Aristophanem tam acerbum Utopiarum adversarium?

Evolvamus viri docti librum praestantissimum: Geschichte d. antiken Kommunismus u. Sozialismus (pag. 424). Ibi de Utopiis haecce legimus: „Wie JOHN STUART MILL mit Recht bemerkt hat, ist der Utopismus das naturgemäsze Ergebnis aller Epochen. Je tiefer und schmerzlicher bei solcher Prüfung die Unvereinbarkeit des Bestehenden mit berechtigten Interessen und Wünschen der Menschheit empfunden wird, je hartnäckiger andererseits *der gedankenlose Alltagsmensch* an die Ewigkeit der Zustände glaubt, in denen er die Befriedigung seiner kleinen persönlichen Interessen findet, um so zwingender macht sich andererseits das Bedürfnis geltend, den Kontrast zwischen der *Wirklichkeit* und den Forderungen der Vernunft und Gerechtigkeit eben dadurch mit möglichster Klarheit vor Augen zu stellen, dasz derselben das *Idealbild* einer besseren Staats- und Gesellschaftsordnung entgegengesetzt wird. . . Durch die Gegenüberstellung von *Ideal* und *Wirklichkeit* schafft sich der menschliche Geist ein mächtiges Hilfsmittel, um das Bestehende schärfer begreifen und beurtheilen zu lernen."

Si igitur Aristophanes in animo habuit populi de summa singulorum libertate opinionibus ac votis adversari — quod Pöhlmannus in suo de Ecclesiazusis iudicio admittit — nonne vir cl. sua ipse ratione disputandi cogitur comicum nostrum quoque habere inter eos, quos dicit *gedankenlose Alltagsmenschen*, quas norunt ac amant vitae rationes sempiternas opinantes?

„Gegenüber der *quietistischen Beschränktheit*" — sic pergit Pöhlmannus — „welche die jeweilig bestehende Ordnung der Dinge als die allein richtige oder allein mögliche ansieht, ist daher das Auftauchen solcher Speculationen

über die Möglichkeit anderer und besserer Zustände stets ein Symptom des Fortschrittes . . . In ihnen stellt sich gegenüber der *gedankenlosen Vergötterung des Bestehenden* die Erkenntnis dar, dasz dasselbe doch wesentlich *mit* das Werk wandelbarer menschlicher Anordnung ist."

Poeta igitur noster, si opinionibus ac rebus novis est adversatus — quae vulgata inter viros doctos est opinio — secundum Pöhlmannum prae se fert *quietistische Beschränktheit* atque *gedankenlose Vergötterung des Bestehenden.*

Hoc Pöhlmanni iudicium severum ex n. o. nititur nimis seria effectuum comicorum ac praecipue Aristophanearum comoediarum aestimatione; sic nimis iis solet tribuere is, qui comoedias non spectans sed legens iocos poetae in seriam convertit disputationem, atque oblitus, quantum ab argumentatione cavillatio distet, ipsum poetam sibi videtur audire disputantem, cum tamen poeta nihil magis cordi habuerit, quam ut spectatores, personas tantum quas finxit audientes, de ipso comico minime quaererent: evanescere enim cupit poeta tamquam obscuratus ab ipsis dramatis personis.

Multum abest ut solus Pöhlmannus hoc sibi persuaserit Aristophanem comoediis suis adversatum esse civitatis innovandae studio. Audiamus Deschanelium (Etudes sur Aristophane, Parisiis 1867, pag. 105 sqq.): „Dans cette pièce (sc. in Nubibus) Aristophane, emporté par la peur des nouvelles idées, calomnie leur représentant le plus illustre. . . . On voit là un esprit affolé par la crainte, comme certaines gens qu'épouvante aujourd'hui le nom seul de *socialisme* et qui, le plus naturellement du monde, calomnient et frappent leurs adversaires sans les comprendre, sans leur permettre même de définir ce nom. Ils se donnent le titre de conservateurs et perdraient tout, si leur dessein réussissait. Ils se roidissent et se fâchent contre le mou-

vement irrésistible; ils protestent au nom du passé et jettent à ce monde, qui gravite vers de nouvelles destinées d'inutiles admonestations. Tel fut le rôle d'Aristophane; bref, il est *conservateur* et fébrile réactionnaire enragé."

Legimus apud ALLARDUM PIERSONUM (Hellas, hfdst. III, pag. 413): „De partij wier gezindheid Aristophanes vertolkte, is minder de conservatieve dan de partij der reactie . . De behoudsmannen zijn reactionnairen geworden, en de komedie van Aristophanes toont hoe zij waarnamen; hoe zij oordeelden; hoe gewetenloos zij het bestaande ondermijnden; de krachten hunner medeburgers verlamden; al wat den staat zedelijken steun kon verleenen op het lichtzinnigst prijs gevende aan minachting en spot. Het patriotisme van deze reactionnairen mag onloochenbaar zijn geweest: het was in elk geval een eigenzinnig patriotisme, het land opofferende aan eigen inzicht, voorliefde en vooroordeel." — Nos horum virorum doctorum sententiis non assentiri, ex tota nostra disputatione apparebit.

§ 2. Quia praesertim in Nubium fabula nova veteribus, libertatis studium obtemperantiae legum opponitur, disputationis nostrae ratio fert ut primum investigemus quomodo Athenis poetae fere temporibus et postea viri ingeniosi et praeclari de illa oppositione cogitaverint.

Unicuique civi, qui animi ingeniique cultum sibi vindicet, inprimis autem viris rebus publicis deditis et iudicibus, rerum civilium peritis, necesse est, cum controversiae in civitate exoriuntur, duas res maxima severitate volutare animo: 1° quatenus studiis, quibus singuli cives libertatem fortunam vitam felicem vindicare sibi conentur, favere debeant, 2° quatenus civitatis commoda flagitent ut legibus et institutis severis obtemperetur. Nempe licet singulorum commoda saepissime saluti publicae sint posthabenda,

tamen quam maxime reipublicae interest unumquemque civem et mente et corpore valere; invicem enim sibi prodesse debent civium salus atque civitatis conservatio. Sane si bene morati essent omnes, leges neque necessariae essent neque, si adessent, molestae; nam, id quod praeclare dixit Aristippus (apud Diog. II 68) adhuc verum videtur: *Ἐρωτηθείς ποτε (ὁ Ἀρίστιππος) τί πλέον ἔχουσιν οἱ φιλόσοφοι, ἔφη· ἐὰν πάντες οἱ νόμοι ἀναιρεθῶσιν, ὁμοίως βιωσόμεθα.*

Legislatoris autem est Juvenalis verba (Sat. XIV vs. 321) sibi infigere animo:

„Numquam aliud natura, aliud sapientia dicit."

Ratio enim in legibus scribendis hominum ac rerum est habenda naturae.

Quatenus lex aliqua iustis nitatur rationibus, reique publicae ac civium prosit saluti, quodammodo legis stabilitate possumus metiri: *καίτοι τόγε ἑκάστου ἀγαθὸν σῴζει ἕκαστον,* dicit Aristoteles (Politic. II 3).

Neque vero umquam quisquam ex antiquis philosophis ac scriptoribus, qui quidem de optima reipublicae forma scripserint, dubitavit quin legibus sublatis aut neglectis tolleretur ipsa res publica. Quod nemo magis perspicue docuit quam Cicero, cuius haec verba (pro Cluentio 53) referre sufficit:

„Indignum est in ea civitate quae legibus contineatur discedi a legibus. Hoc enim vinculum est huius dignitatis qua fruimur in republica, hoc fundamentum libertatis, hic fons aequitatis: mens et animus et consilium et sententia civitatis posita est in legibus. Ut corpora nostra sine mente, sic civitas sine lege suis partibus, ut nervis et sanguine et membris, uti non potest. Legum ministri magistratus, legum interpretes iudices, legum denique idcirco omnes servi sumus, ut liberi esse possimus."

Quid mirum PLATONEM, ARISTOTELEM, THUCYDIDEM, DEMOSTHENEM semper hac in re civitatis commodis favisse, legum obtemperantiam commendasse, contra civium singulorum studia libertatis reipublicae salutis duxisse periculum.

In PLATONIS Legibus (698 A) haec leguntur: *ἡμῖν γὰρ κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον, ὅτε ἡ Περσῶν ἐπίθεσις τοῖς Ἕλλησιν... ἐγίγνετο, πολιτεία τε ἦν παλαιὰ καὶ δεσπότις ἐνῆν τις αἰδώς, δι' ἣν δουλεύοντες τοῖς τότε νόμοις ζῆν ἠθέλομεν. καὶ πρὸς τούτοις δὴ τὸ μέγεθος τοῦ στόλου κατά τε γῆν καὶ κατὰ θάλατταν γενόμενον, φόβον ἄπορον ἐμβαλόν, δουλείαν ἔτι μείζονα ἐποίησεν ἡμᾶς τοῖς τε ἄρχουσι καὶ τοῖς νόμοις δουλεῦσαι.*

Hoc legum obsequium, quod hic et alibi *αἰδώς* vocatur, Legg. 699 nominatur *φόβος*:

ταῦτ' οὖν αὐτοῖς πάντα φιλίαν ἀλλήλων ἐνεποίει, ὁ φόβος ὁ τότε παρὼν ὅ τε [ἐκ τῶν νόμων τῶν][1] *ἔμπροσθεν γεγονώς, ὃν δουλεύοντες τοῖς πρόσθεν νόμοις ἐκέκτηντο, ἣν αἰδῶ πολλάκις ἐν τοῖς ἄνω λόγοις εἴπομεν, ᾗ καὶ δουλεύειν ἔφαμεν δεῖν τοὺς μέλλοντας ἀγαθοὺς ἔσεσθαι, ᾗ*[2] *ὁ δῆμος ἐλεύθερος καὶ ἄφοβος.*[3]

In eandem sententiam dicit Plato (de Legg. III. 2):

οὐκ ἦν ἡμῖν ἐπὶ τῶν παλαιῶν νόμων ὁ δῆμός τινων κύριος, ἀλλὰ τρόπον τινὰ ἑκὼν ἐδούλευε τοῖς νόμοις.

Quin etiam eo procedit ARISTOTELES ut legum potestati disertis verbis opponat potentiam multitudinis (Polit. IV 5.5): *διὸ γίνεται τὸ τῶν ἀπόρων πλῆθος κύριον τῆς πολιτείας, ἀλλ' οὐχ οἱ νόμοι.* Alibi autem (Polit. IV. c. 4) legimus: *ὅπου γὰρ μὴ νόμοι ἄρχουσιν, οὐκ ἔστι πολιτεία. Δεῖ γὰρ τὸν μὲν*

---

1) Expunxit Badhamus.

2) *ᾗ ὁ δῆμος* — sic Schanz pro codicum *ἧς ὁ δειλός*.

3) Conferantur ex Protagorae illo mytho haecce: *Ζεὺς οὖν . . Ἑρμῆν πέμπει ἄγοντα εἰς ἀνθρώπους αἰδῶ τε καὶ δίκην ἵν' εἶεν πόλεων κόσμοι τε καὶ δεσμοὶ φιλίας συναγωγοί.*

νόμον ἄρχειν πάντων, τῶν δὲ καθ' ἕκαστα τὰς ἀρχὰς καὶ τὴν πολιτείαν κρίνειν.

§ 3. Cum priorum comoediarum materiem petiverit Aristophanes ex commutationibus atque perturbationibus, quae bello Peloponnesiaco exorto in civitatis rationes mentesque civium irrepserant, quibus mutationibus poeta adulescens — iudicio et auctoritati sui ordinis factionisque obnoxius [1]) — parum favebat, non supervacaneum nobis videtur in memoriam revocare Thucydidis notissimam illam discordiarum per Graeciam intestinarum descriptionem (libri III c. 82 et 83), cuius in laudem libet prius Grotii exscribere verba (History of Greece, edit. 1854 Vol. VI pag. 278):

„The picture, drawn by Thucydidês, of moral and political feeling under these influences, will ever remain memorable as the work of an analyst and a philosopher: he has conceived and described the perverting causes with a spirit of generalization which renders these two chapters hardly less applicable to other political societies, far distant both in time and place".

Quam parum a Thucydidis iudicio distet Aristophanis de republica opinio paucis exemplis demonstrare satis erit. Licet enim, ut iam animadvertimus (§ 1, pag. 6), poeta scaenicus pone tragicas vel comicas oppositiones soleat abscondi, tamen ex toto fabulae alicuius proposito saepissime effici potest, quid spectet poeta et quaenam de aliqua re sit eius opinio.

„*In pace* et florentibus rebus" — sic Thucydides — „èt civitates èt homines privati melioribus utuntur consiliis (*ἐν μὲν γὰρ εἰρήνῃ καὶ ἀγαθοῖς πράγμασιν αἵ τε πόλεις καὶ οἱ ἰδιῶται ἀμείνους τὰς γνώμας ἔχουσι*), quia necessitati parere ac tempori cedere non coguntur (*διὰ τὸ μὴ ἐς ἀκουσίους*

[1]) Huius pronuntiati illustratio occurrit pag. 20 sq.

ἀνάγκας πίπτειν). Bellum vero est *βίαιος διδάσκαλος*, qui saevos animi affectus ad praesentium rerum statum solet accommodare (*πρὸς τὰ παρόντα τὰς ὀργὰς τῶν πολλῶν ὁμοιοῖ*)." Nil igitur miraudum Aristophanem quoque tot in comoediis superstitibus belli exstitisse adversarium.

„Usitatam vocabulorum significationem pro re nata suo arbitratu immutaverunt:

τόλμα μὲν γὰρ ἀλόγιστος ἀνδρία φιλέταιρος ἐνομίσθη (*ὠνομάσθη* reposuit Herwerdenus vid. edit. annot.), *μέλλησις δὲ προμηθὴς δειλία εὐπρεπής, τὸ δὲ σῶφρον τοῦ ἀνάνδρου πρόσχημα, καὶ τὸ πρὸς ἅπαν ξυνετὸν ἐπὶ πᾶν ἀργόν*. . Aristophanes autem in Nubium fabula (vs. 1019 sqq.) *τὸν Δίκαιον Λόγον* facit dicentem:

καὶ σ'ἀναπείσει (sc. *ὁ Ἄδικος*)
τὸ μὲν αἰσχρὸν ἅπαν καλὸν ἡγεῖσθαι,
τὸ καλὸν δ'αἰσχρόν.

Similiter verba Thucydidea: *τὸ δὲ σῶφρον τοῦ ἀνάνδρου πρόσχημα* in memoriam revocant *τοῦ Ἀδίκου* illa (vs. 1000 sq.): *εἰ ταῦτ', ὦ μειράκιον, πείσει τούτῳ . . καί σε καλοῦσι βλιτομάμμαν*, nec non vs. 1068 sq. (cf. Part. I cap. II § 1 et 4.)

„Malebant vocari malefici *δεξιοί*" — sic historicus — „quam stolidi *ἀγαθοί, καὶ τῷ μὲν αἰσχύνονται, ἐπὶ δὲ τῷ ἀγάλλονται*." Cum hisce comparari possunt, quae contendit *ὁ Ἄδικος* (vs. 1061 sq.):

ἐπεὶ σὺ διὰ τὸ σωφρονεῖν τῷ πώποτ' εἶδες ἤδη
ἀγαθόν τι γενόμενον;

Porro legimus apud Thucydidem:

οἱ γὰρ ἐν ταῖς πόλεσι προστάντες μετ' ὀνόματος ἑκάτεροι εὐπρεποῦς, πλήθους τε ἰσονομίας πολιτικῆς καὶ ἀριστοκρατίας σώφρονος προτιμήσει, τὰ μὲν κοινὰ λόγῳ θεραπεύοντες ἆθλα ἐποιοῦντο, παντὶ δὲ τρόπῳ ἀγωνιζόμενοι ἀλλήλων περιγίγνεσθαι ἐτόλμησάν τε τὰ δεινότατα. . Nonne nobis, haec legentibus, Cleonis Isiciariique imagines, quemadmodum ab

Aristophane in Equitibus sunt pictae, obversantur animo? *Ὥστε εὐσεβείᾳ μὲν οὐδέτεροι ἐνόμιζον,* ita perhibet rerum scriptor; Aristophanes in Nubium fabula nobis praebet exemplum, quam facile Strepsiades *εὐσέβειαν* suam valere iubat creditorum fallendorum causa.

Καὶ τὸ εὔηθες, οὗ τὸ γενναῖον πλεῖστον μετέχει, καταγελασθὲν ἠφανίσθη. Hisce verbis totius *τοῦ Ἀδίκου* (in Nubibus) argumentationis propositum quodammodo circumscribi dixeris.

Καὶ οἱ φαυλότεροι γνώμην ὡς τὰ πλείω περιεγίγνοντο — cum hoc rerum statu, a Thucydide descripto, congruit *τοῦ Ἀδίκου Λόγου* in Nubibus victoria (cf. Part. I c. I).

„*τῷ γὰρ δεδιέναι τό τε αὐτῶν ἐνδεὲς καὶ τὸ τῶν ἐναντίων ξυνετόν, μὴ λόγοις τε ἥσσους ὦσι καὶ ἐκ τοῦ πολυτρόπου αὐτῶν τῆς γνώμης φθάσωσι προεπιβουλευόμενοι, τολμηρῶς πρὸς τὰ ἔργα ἐχώρουν.*" Sic in Nubibus poeta Strepsiadem finxit id tantum agentem, ut *τοῦ ἥττονος λόγου* ope superaret ac defraudaret creditores.

In huiusmodi *κακοτροπίας* (Thuc. III 83) temporibus quoniam vivebant Socrates Aristophanesque, quid mirum Socratem a civibus suis parum esse aestimatum, Aristophanem semper ubique populi risisse studia?

Eandem adeo quam Thucydides refert a vero honestoque digressionem saepissime invenimus expositam in aliis Aristophaneis comoediis. Veluti in Ecclesiazusis (vs. 763 sqq.) rogat *ἀνήρ Α* alterum civem:

τί δ'; οὐχὶ πειθαρχεῖν με τοῖς νόμοισι δεῖ;

Sequitur altercatio de legum obsequio:

ἀνήρ Β: ποίοισιν, ὦ δύστηνε;
Α: τοῖς δεδογμένοις.
Β: δεδογμένοισιν; ὡς ἀνόητος ἦσθ' ἄρα.
Α: ἀνόητος; Β: οὐ γάρ; ἠλιθιώτατος μὲν οὖν
ἁπαξαπάντων. Α: ὅτι τὸ ταττόμενον ποιῶ;

B: τὸ ταττόμενον γὰρ δεῖ ποιεῖν τὸν σώφρονα;

A: μάλιστα πάντων. B: τὸν μὲν οὖν ἀβέλτερον.

Tempora nova et vetera opponuntur Ran. vs. 1069 sqq., ubi Aeschylus Euripidi obicit:

εἶτ' αὖ λαλίαν ἐπιτηδεῦσαι καὶ στωμυλίαν ἐδίδαξας,
ἣ 'ξεκένωσεν τάς τε παλαίστρας [1]) *καὶ τὰς πυγὰς συνέτριψε*
τῶν μειρακίων στωμυλλομένων, καὶ τοὺς παράλους ἀνέπεισεν
ἀνταγορεύειν τοῖς ἄρχουσιν. καίτοι τότε γ', ἡνίκ' ἐγὼ 'ζων,
οὐκ ἠπίσταντ' ἀλλ' ἢ μᾶζαν καλέσαι καὶ ῥυππαπαῖ εἰπεῖν.

Licet de iocorum aestimatione postea simus dicturi, iam hic non possumus non animadvertere, quantopere seriae disputationi comica sit posthabenda. Non tantum vocibus ridiculis *τὰς πυγὰς συνέτριψε* (cf. Nub. vs. 1013 et 1018) Aeschylus, severus et castus ille, ipse suae obiurgationi adimit efficacitatem, quam seriis in disputationibus aegre desideramus, sed praesertim in sequentibus versibus Bacchus iocose ac ironice Aeschylo assentiendo totam eius argumentationem irritam reddit, ipsam prioris aetatis laudationem in ludibrium vertens:

Νὴ τὸν 'Απόλλω, καὶ προσπαρδεῖν γ' εἰς τὸ στόμα τῷ θαλάμακι
καὶ μινθῶσαι τὸν ξύσσιτον, καὶ ἐκβάς τινα λωποδυτῆσαι.
νῦν δ' ἀντιλέγειν κοὐκέτ' ἐλαύνειν,
καὶ πλεῖν δευρὶ καὖθις ἐκεῖσε.

Memorabilem in modum in illis depravationis recentiorum temporum imaginibus cum utroque, tam scriptore Thucydide quam comico Aristophane congruit Plato, non opinione tantum sed ipsa quoque dictione, cum ita dicit in Republica (560 D):

καὶ τὴν μὲν αἰδῶ ἠλιθιότητα ὀνομάζοντες ὠθοῦσιν ἔξω (ἀτίμως) φυγάδα, σωφροσύνην δὲ ἀνανδρίαν καλοῦντές τε καὶ

---

1) Ex hoc loco mihi apparere videtur vocem *γυμνασίων* (Nub. 417) valde vexatam bene sese habere.

προπηλακίζοντες ἐκβάλλουσι, μετριότητα δὲ καὶ κοσμίαν δαπάνην ὡς ἀγροικίαν καὶ ἀνελευθερίαν οὖσαν πείθοντες ὑπερορίζουσι μετὰ πολλῶν καὶ ἀνωφελῶν ἐπιθυμιῶν (cf. de Republ. 560 E, de Legibus 875).

Ceterum numquam desinunt oratores, cum aequalium mores carpunt, vetera efferre laudibus. Ita Demosthenes (Olynth. III. 25 sq.): *ἰδίᾳ δ'οὕτω σώφρονες ἦσαν καὶ σφόδρ' ἐν τῷ τῆς πολιτείας ἤθει μένοντες, ὥστε τὴν Ἀριστείδου καὶ τὴν Μιλτιάδου καὶ τῶν τότε λαμπρῶν οἰκίαν εἴ τις ἄρ' οἶδεν ὑμῶν ὁποία ποτ' ἐστίν, ὁρᾷ τῆς τοῦ γείτονος οὐδὲν σεμνοτέραν οὖσαν. οὐ γὰρ εἰς περιουσίαν ἐπράττετ' αὐτοῖς τὰ τῆς πόλεως, ἀλλὰ τὸ κοινὸν αὔξειν ἕκαστος ᾤετο δεῖν.* Deinde capite sequenti ipsius oratoris temporum mores cognoscimus: *ἀποβλέψατε — οἱ δ' ἐξ ἀδόξων ἔντιμοι, ἔνιοι δὲ τὰς ἰδίας οἰκίας τῶν δημοσίων οἰκοδομημάτων σεμνοτέρας εἰσὶ κατεσκευασμένοι. ὅσῳ δὲ τὰ τῆς πόλεως ἐλάττω γέγονε, τοσούτῳ τά τούτων ηὔξηται.*

Eiusdem generis oppositionem invenimus apud Isocratem (*περὶ εἰρήνης* § 36 – 56). — (De utriusque oppositionis praestantia cf. comparationem Dionysii Halicarnassensis *π. τ. λεκτ. Δημ. δεινότητος* c. 21).

§ 4. Quemadmodum in Acharnensibus poeta sese opposuit bello, sic in Equitibus democratiam quam maxime in ludibrium vertit. Nec vero hac in re temere ac inconsiderate populi studiis est adversatus; sine ullo dubio tunc temporis virorum optimorum secutus est opiniones. (Vide infra). Facile enim intelligitur, in iis temporibus depravationis plenis, neminem sapientem non perspexisse meliorem sane reipublicae formam inveniri posse quam illam imperii constitutionem, in qua populus incultus plurimum posset omniaque aut suo aut demagogorum arbitrio gereret. Ut èt rerum Atheniensium statum et Aristophanis de eo

opiniones rectius iudicemus, multum referre mihi videtur audire Platonis Aristotelis Ciceronis de optima reipublicae constitutione sententias.

Secundum Ciceronem — ut de huius opinione primum videamus — omnis res publica *consilio* quodam est regenda, ut diuturna sit, idque consilium aut *uni* tribuendum est, aut *delectis quibusdam* aut suscipiendum est *multitudini atque omnibus* (de Republ. I. c. 26). Sic distinguit Cicero inter *regnum*, *optimatium arbitrium*, *civitatem popularem*. Sed horum trium constitutionum generum nullum ei satisfacit: „et in *regnis* enim nimis expertes sunt ceteri communis iuris et consilii, et in *optimatium dominatu* vix particeps libertatis potest esse multitudo, cum omni consilio communi ac potestate careat, et cum *omnia per populum* geruntur, quamvis iustum atque moderatum, tamen ipsa aequabilitas est iniqua, cum habet nullos gradus dignitatis." Quare *quartum* quoddam genus reipublicae maxime probandum esse sentit Cicero, quod est ex tribus illis moderatum et permixtum (de Republ. I. c. 27): „*Placet enim esse quiddam in republica praestans et regale, esse aliud auctoritati principum inpartitum ac tritubum, esse quasdam res servatas iudicio voluntatique multitudinis.* . . Non est causa conversionis, ubi in suo quisque est gradu firmiter collocatus et non subest, quo praecipitet ac decidat" (de Republ. I. c. 45).

Iam apud Aristotelem legimus esse, qui talem *πολιτείαν ἐξ ἁπασῶν τῶν πολιτειῶν μεμειγμένην* optimam judicent: *ἔνιοι μὲν οὖν λέγουσιν ὡς δεῖ τὴν ἀρίστην πολιτείαν ἐξ ἁπασῶν εἶναι τῶν πολιτειῶν μεμειγμένην, διὸ καὶ τὴν τῶν Λακεδαιμονίων ἐπαινοῦσιν* (Polit. II. 6).

Polybius in eandem sententiam contendit (VI. 3): *δῆλον γὰρ ὡς ἀρίστην μὲν ἡγητέον πολιτείαν τὴν ἐκ τριῶν τῶν προειρημένων ἰδιωμάτων συνεστῶσαν.*

Quia Aristophanes in Equitibus non minus quam *τοῦ*

Δήμου mentis caecitatem pravasque opiniones Cleonem demagogum ipsum flagellat, operae pretium esse arbitror videre, penes quos tandem secundum Platonem imperium esse oporteat, ne nimis mireris, comicum nostrum sui temporis demagogis non favisse.

'Εκλεκτέον ἄρ' — sic Plato — *ἐκ τῶν ἄλλων φυλάκων τοιούτους ἄνδρας, οἵ ἂν σκοποῦσιν ἡμῖν μάλιστα φαίνωνται παρὰ πάντα τὸν βίον, ὃ μὲν ἂν τῇ πόλει ἡγήσωνται ξυμφέρειν, πάσῃ προθυμίᾳ ποιεῖν, ὃ δ'ἂν μή, μηδενὶ τρόπῳ πρᾶξαι ἂν ἐθέλειν* (de Republica 412 D). Qui per totam vitam optimis rebus studuerunt, iis publica munera ac magistratus sunt tribuenda (cf. 412 E, 413 D).

Totam reipublicae salutem pendere ex consilio eorum qui civitatem regunt Plato hisce verbis exprimit: *νευρορράφοι γὰρ φαῦλοι γενόμενοι καὶ διαφθαρέντες καὶ προσποιησάμενοι εἶναι, μὴ ὄντες, πόλει οὐδὲν δεινόν, φύλακες δὲ νόμων τε καὶ πόλεως μὴ ὄντες, ἀλλὰ δοκοῦντες, ὁρᾷς δή, ὅτι πᾶσαν ἄρδην πόλιν ἀπολλύασι καὶ αὖ τοῦ εὖ οἰκεῖν καὶ εὐδαιμονεῖν μόνοι τὸν καιρὸν ἔχουσιν* (de Republ. 421 A).

Ex Thomae Mori sententia (Utopia II 217) „*salus et pernicies* a moribus *magistratuum pendet.*"

Cives singulos praeter legum ac civitatis custodes non multum curare videtur Plato; dicit enim l.l. (421 A): *τῶν μὲν ἄλλων ἐλάττων λόγος.* Pöhlmannus hac in re Platoni quodammodo assentitur: „Es ist nicht aristokratisches Vorurteil, sondern einfach wahr, dasz der Staat in erster Linie an der Fähigkeit seiner Organe interessiert ist und erst in zweiter an der Tüchtigkeit der einzelnen Privaten (Gesch. d. ant. Komm. u. Sozialismus I p. 303).

§ 5. Videamus tandem obiter, quid censeant viri praeclari antiqui de ipsa *democratica* reipublicae constitutione, cui poeta noster tantopere restitit.

Plato democratiae maxime proprium esse dicit, quod omnes cives summam expetant libertatem, quae a petulantia, protervitate, scelerum adeo impunitate minime differat. *ποία τις ἡ τοιαύτη αὖ πολιτεία; . . οὐκοῦν πρῶτον μὲν δή. . ἐλευθερίας ἡ πόλις μεστὴ καὶ παῤῥησίας γίγνεται καὶ ἐξουσία ἐν αὐτῇ ποιεῖν ὅ τί τις βούλεται; ὅπου δέ γε ἐξουσία, δῆλον, ὅτι ἰδίαν ἕκαστος ἂν κατασκευὴν τοῦ αὐτοῦ βίου κατασκευάζοιτο ἐν αὐτῇ, ἥτις ἕκαστον ἀρέσκοι* (de Republ. 557 B, cf. 558 B, 560 B, D, E, 562 C, D, E, 563 E).

Aristoteles (Eth. Nicom. VIII. 10 in fine) popularem potestatem comparat cum iis familiis, quae domino carent vel imbecillo utuntur domino: *δημοκρατία δὲ μάλιστα μὲν ἐν ταῖς ἀδεσπότοις τῶν οἰκήσεων (ἐνταῦθα γὰρ πάντες ἐξ ἴσου), καὶ ἐν αἷς ἀσθενὴς ὁ ἄρχων καὶ ἑκάστῳ ἐξουσία.* Alibi (Politic. III. 5. 4) democratiam vocat *πολιτείας παρέκβασιν.*[1])

„In democratiis — ut tertium locum afferamus (Polit. V. 7. 22) — *τοὐναντίον τοῦ συμφέροντος* est institutum. Cuius rei causa est quod male libertatem definiunt. Duabus enim rebus democratia definiri videtur: èt eo, quod summa rerum sit penes maiorem populi partem, èt ipsa libertate. . . *τὸ μὲν γὰρ δίκαιον ἴσον δοκεῖ εἶναι, ἴσον δ' ὅ τι ἂν δόξῃ τῷ πλήθει, τοῦτ' εἶναι κύριον, ἐλεύθερον δὲ καὶ ἴσον τὸ ὅ τι ἂν βούληταί τις ποιεῖν. ὥστε ζῇ ἐν ταῖς τοιαύταις δημοκρατίαις ἕκαστος ὡς βούλεται. . . τοῦτο δ' ἐστὶ φαῦλον. οὐ γὰρ δεῖ οἴεσθαι δουλείαν εἶναι τὸ ζῆν πρὸς τὴν πολιτείαν, ἀλλὰ σωτηρίαν.*

---

1) In Eth. Nicomach. autem (VIII. c. 10) legimus: *ἥκιστα δὲ μοχθηρόν ἐστιν ἡ δημοκρατία· ἐπὶ μικρὸν γὰρ παρεκβαίνει τὸ τῆς πολιτείας εἶδος.* Quid sibi velit vox *πολιτεία* indicari videtur capite superiore (VIII c. 9.): *αἱ δὲ κοινωνίαι πᾶσαι μορίοις ἐοίκασι τῆς πολιτικῆς. συμπορεύονται γὰρ ἐπί τινι συμφέροντι. . . τούτου γὰρ καὶ οἱ νομοθέται στοχάζονται, καὶ δίκαιόν φασιν εἶναι τὸ κοινῇ συμφέρον.*

Summi momenti sunt quae Polit. III. 11. 6 contendit Aristoteles: *ὥστε δῆλον ὅτι τὸ δίκαιον ζητοῦντες τὸ μέσον ζητοῦσιν· ὁ γὰρ νόμος τὸ μέσον.* Deinde sequuntur observationes quas hodiernis legislatoribus et magistratibus semper cordi esse oportebat: leges (non scriptas), quae moribus nitantur, maiorem habere auctoritatem quam leges scriptas, eumque, qui reipublicae praesit, superiorem esse (oportere) legibus scriptis, legibus autem (non scriptis), quae in moribus sint positae, inferiorem. *ἔτι κυριώτεροι* — ut ipsius verba referamus — *καὶ περὶ κυριωτέρων τῶν κατὰ γράμματα νόμων οἱ κατὰ τὰ ἔθη εἰσίν, ὥστε τῶν κατὰ γράμματα ἄνθρωπος ἄρχων ἀσφαλέστερος, ἀλλ' οὐ τῶν κατὰ τὸ ἔθος.*

Haec serio et a philosophis, viris gravissimis, exposita saepius; sed non minus acerbe ac graviter Aristophanes, quamvis comicus et cavillator, et democratiam et populum ipsum verbis castigare ausus est. Nonnulla etiam huius cavillationis afferemus exempla.

In Equitum fabula spectatoribus ostendit *τὸν δῆμον* ipsum ut senem debilem, singulorum populi ducum arbitrio obnoxium. Legimus vs. 40 sqq.:

νῷν γὰρ ἔστι δεσπότης
ἄγροικος ὀργήν, κυαμοτρώξ, ἀκράχολος,
Δῆμος Πυκνίτης, δύσκολον γερόντιον
ὑπόκωφον. οὗτος τῇ προτέρᾳ νουμηνίᾳ
ἐπρίατο δοῦλον, βυρσοδέψην Παφλαγόνα,
πανουργότατον καὶ διαβολώτατόν τινα.

Vs. 1355 pudet populum priorum peccatorum:

αἰσχύνομαί τοι ταῖς πρότερον ἁμαρτίαις.

Respondet Agoracritus:

ἀλλ' οὐ σὺ τούτων αἴτιος, μὴ φροντίσῃς,
ἀλλ' οἵ σε ταῦτ' ἐξηπάτων.

Vs. 183 rogat Demosthenes Isiciarium: „cur te indignum putas" (sc. qui sis *ἁπάντων ἀρχέλας* (vs. 164). Pergit (vs. 185):

μῶν ἐκ καλῶν εἶ κἀγαθῶν;

Respondet Isiciarius: μὰ τοὺς θεούς,

εἰ μὴ ἐκ πονηρῶν γ'.

Dem.: ὦ μακάριε τῆς τύχης,

ὅσον πέπονθας ἀγαθὸν εἰς τὰ πράγματα.

Isic.: ἀλλ', ὦγαθ', οὐδὲ μουσικὴν ἐπίσταμαι,

πλὴν γραμμάτων, καὶ ταῦτα μέντοι κακὰ κακῶς.

Dem.: τουτὶ μόνον σ' ἔβλαψεν, ὅτι καὶ κακὰ κακῶς.

Licet autem in Ranis (vs. 420 sqq.) praesertim Archedemum demagogum ludificetur Chorus, ipsi tamen Athenienses etiam voce νεκροῖσι tanguntur:

νυνὶ δὲ δημαγωγεῖ (sc. ὁ Ἀρχέδημος)
ἐν τοῖς ἄνω νεκροῖσι,
καί ἐστιν τὰ πρῶτα τῆς ἐκεῖ μοχθηρίας.

Recte igitur annotat Schol.: ὡς ἀσθενεῖς καὶ νεκροὺς διαβάλλει τοὺς Ἀθηναίους.

Quo in iocandi genere facete poeta ut saepissime mundum prorsus subversum sibi finxit. Loquitur enim Chorus ex sententia mortuorum, quasi inferi sint vivi, superi autem (sc. in terris) mortui (cf. Ran. 177.)

In Avibus (vs. 753 sqq.) non solum generatim in mortalium libertatis studia, sed etiam in miseram Atheniensium civitatis condicionem iocari videtur poeta: τὸν πατέρα τύπτειν tibi placet? Demigra in Avium regnum:

εἰ μετ' ὀρνίθων τις ὑμῶν, ὦ θεαταί, βούλεται
διαπλέκειν ζῶν ἡδέως τὸ λοιπόν, ὡς ἡμᾶς ἴτω.
ὅσα γάρ ἐστιν ἐνθάδ' αἰσχρὰ τῷ νόμῳ κρατούμενα,
ταῦτα πάντ' ἐστὶν παρ' ἡμῖν τοῖσιν ὄρνισιν καλά.
εἰ γὰρ ἐνθάδ' ἐστὶν αἰσχρὸν τὸν πατέρα τύπτειν νόμῳ,
τοῦτ' ἐκεῖ καλὸν παρ' ἡμῖν. . .

Itaque in notissima illa Nubium parte (vs. 1321 sqq.) τὸ τὸν πατέρα τύπτειν ioci causa τοῦ ἥττονος ope λόγου defendi, non magis est mirandum quam illud in comoedia, h. e. in fabula ludicri plena, ab Avibus dari consilium.

§ 6. Aristophani re vera commoda reipublicae fuisse curae, apparet ex fine Ranarum fabulae. Dicit vs. 1418 sqq. (cf. 1436) Bacchus:

ἐγὼ κατῆλθον ἐπὶ ποιητήν. . .
ἵν' ἡ πόλις σωθεῖσα τοὺς χοροὺς ἄγῃ.
ὁπότερος οὖν ἂν τῇ πόλει παραινέσειν
μέλλῃ τι χρηστόν, τοῦτον ἄξειν μοι δοκῶ.
πρῶτον μὲν οὖν περὶ 'Αλκιβιάδου τίν' ἔχετον
γνώμην ἑκάτερος; ἡ πόλις γὰρ δυστοκεῖ.

Vs. 1427 Eur.: μισῶ πολίτην, ὅστις ὠφελεῖν πάτραν
βραδὺς πέφυκε etc.

Vs. 1431 Aesch.: οὐ χρὴ λέοντος σκύμνον ἐν πόλει τρέφειν.
ἢν δ' ἐκτραφῇ τις, τοῖς τρόποις ὑπηρετεῖν.

Poetae Atheniensium rerum statum minime placere, docent nos, quae èt Euripidem (vs. 1443 sqq.) èt Aeschylum (vs. 1463 sqq.) facit suadentes. Praeterea maximi sunt pretii Chori verba (vs. 717—737), e quibus cognoscas quid de civibus suis censuerit poeta:

πολλάκις γ' ἡμῖν ἔδοξεν ἡ πόλις πεπονθέναι. . .

Cum hisce verbis comparari possunt quae dicunt Xenophon (de Athen. Republica I. 13 et 14) et Isocrates (de Pace § 52: προσποιούμενοι δὲ σοφώτατοι τῶν Ἑλλήνων εἶναι τοιούτοις χρώμεθα συμβούλοις etc.)

Unum autem est quod in Aristophane iudicando semper recordari oportet, neque vero eius rei oblitus esse videtur Piersonus, cuius verba supra commemoravi: non ipsius poetae audimus iudicia — optimates, quorum partibus favebat, eius ore loquuntur.

Quia adulescenti, non multo maiori, ut videtur, viginti annis natu, vix possumus proprias adiudicare opiniones, per se intellegitur apud nostrum multum valuisse iudicium opiniones auctoritatem eorum, quos habuit proximos, sive cognatos sive familiares, nec non ipsius ordinis atque

factionis assensionem atque favorem ei magno fuisse subsidio refugioque. Fieri igitur potest, ut fuerit in numero eorum, qui divitias summamque rerum suo in ordine coniuncta esse aequum iudicarent et hanc ob causam insolentius se iactare solerent [1]). Sine dubio cadunt in Aristophanem, quae dicit Schopenhauer (in opere: die Welt als Wille und Vorstellung): „der *Vorteil* übt eine geheime Macht über unser Urteil aus. Was ihm gemäsz ist, erscheint uns alsbald billig, gerecht, vernünftig; was ihm zuwider ist, stellt sich uns in vollem Ernst als ungerecht und abscheulich oder zweckwidrig und absurd dar. Daher so viele Vorurteile *des Standes*, des Gewerbes, der Nation, der Sekte, der Religion."

Quod autem poeta noster qui democraticam politiam, populum ipsum, privatos cives graviter verbis castigaret, tamen ab eodem populo plausum tulit (*πρῶτος* enim *ἐνίκα* acta Equitum fabula), id is modo mirabitur, qui non sentiet, quanta sit comicae artis abscondita potestas. In omnibus comoediis reipublicae salutis vindex exsistere videtur Aristophanes [2]), et idcirco a viris bene moratis est approbatus. Indulget autem simul atque blanditur – quasi *contra* reipublicae commoda — libertatis studiis, quae omnibus mortalibus sunt propria; cupididates libidinesque singulorum incendit — qua in re non discedit ab Atticae comoediae more — et ea ipsa indulgentia ipsisque voluptatis blandimentis occasionem reperit eaque quam maxime utitur, ut quae medicamina aliis condicionibus vix essent ferenda atque absorbenda,

---

1) cf. Pöhlmann, die Anfänge des Sozialismus in Europa (Histor. Zeitschr. Band 79 (1897), p. 415).

Aristotel. Polit. VIII. 6. 4 (1307a): *οἱ δ'ἐν ταῖς εὐπορίαις ἂν ἡ πολιτεία διδῷ τὴν ὑπεροχήν, ὑβρίζειν ζητοῦσι καὶ πλεονεκτεῖν.*

2) cf. Vesp. 1043: *τοιόνδ' εὑρόντες ἀλεξίκακον, τῆς χώρας τῆσδε καθαρτήν* cet.

linguae stomachoque reddat minus acerba, haustuque faciliora. Sic egregie ac ingeniose — attamen *lectori* fortasse primo obtutu inepte atque absurde — duas res prorsus inter sese oppositas in Aristophaneis comoediis invenimus consociatas: dico — quae iam significavimus — *studium rei publicae commodis favendi* et *voluntatem singulorum libertatis blandiendi inclinationibus*, eo consilio coniuncta ut èt maximo gaudio spectatores afficiantur èt ipse hilaris auditorum animi affectus praebeat occasionem gravia asperaque *impune* dicendi.

Dolendum autem est ipsam hilaritatem, quam *semper* movere conatur noster, prohibere, quominus adhortationes vituperationesque alte descendant in auditorum animum in eoque diu haereant, exceptis fortasse ipsis privatis qui ludibrio habiti sint, modo nondum omni honesti careant sensu. Risus enim atque cachinni serias animi impressiones solent oblitterare vel potius seriis reputationibus animum reddunt minus aptum. Quin etiam — si attendimus ad poetae ipsius consilium — statuendum videtur cavillatorem nostrum, si interdum suum esse revera putat ut seriis cogitationibus aliquam fabulae personam faciat indulgentem, id studere, ut statim absurdissimis facetiis omnes reputationes severas omnesque offensiones animo auditorum detergeat locumque det ἀσβέστῳ γέλῳ. Serius esse non posse, saltem non velle, videtur comicus noster, licet nonnumquam sibi sumat ut pergravia dicat. Ridens, quae efficere possent comoediae suae, quasi disicere atque diruere amat, ne cessent risus atque cachinni, quibus saepenumero ei posthabenda videntur reipublicae commoda honestatisque rationes (cf. p. 13 et quae postea huius rei se offerent exempla [1]). Hisce observationibus quodammodo refutantur, si quid video, Piersoni aliorum quas rettulimus opiniones.

[1]) Quae Kockius in fine Ranarum (vs. 1437—1441 et 1452—1453) emblemata esse censet, nos dictam ob causam cupimus servare.

Harum thesium probabilitatem vel potius stabilitatem quia ex accurata *omnium* Aristophanearum comoediarum inquisitione argumentis probari huius libelli ambitus non sinit, speramus fore ut, quae ex Nubium fabulae investigatione hac de re efficere poterimus, hisce pronuntiatis videantur quadrare. Praeterea non dubitamus, quin haecce *ἀξιώματα* multas quae in Aristophanis comoediis inesse videntur controversias dirimere multorumque virorum doctorum varias de comoediarum indole sententias quadamtenus reconciliare possint.

§ 7. Licet huius loci non sit investigare, quid sibi velit vis comica in universum quantumque in derisionibus inesse possit offensionis, quantum utilitatis, tamen libet duorum virorum referre de ironia deque risu ac vi comica opiniones, ut appareat quantopere horum virorum iudicia inter sese discrepent utque simul indicemus quanam ratione vis comica Aristophanea nostrum tangere soleat animum quamque viam in Nubium facetiis interpretandis simus ingressuri. Audiamus primum Delapradium (Questions d'art et de morale): „L'ironie, c'est-à-dire l'égoisme, c'est-à-dire l'orgueil, c'est-à-dire le mal, s'est prise enfin à son véritable ennemi, à la verité, à la perfection infinie, à l'amour absolu. Le rire, dans la vie commune, n'est que l'arme dont les mesquines et vicieuses natures poursuivent les nobles caractères... A juger son rôle dans l'ensemble des choses, l'ironie est *le perpétuel blasphème que les ténèbres lancent contre la lumière.*" Perspicuum est virum doctum h. l. exceptiones quasi veritatis habere normam rerumque naturam nimis serio, i. e. non ab omni parte considerare atque ponderare.

Multo subtilius exquisitiusque mihi videtur Cunonis Fischeri iudicium (Ueber den Witz, Kleine Schriften II, 79 (31):

„Das Erhabene ruft das Komische hervor als sein nothwendiges Gegenbild, als seine durch das Bedürfnisz der ästhetischen Vorstellungsweise gebotene Ergänzung, denn *jede Erhabenheit ist einseitig und unterdrückt oder überfliegt irgend eine berechtigte Seite der Menschennatur* [1]). In dieser Einseitigkeit liegt ihre Ohnmacht und Schwäche. Diese Schwäche erleuchtet die unbefangene freie Betrachtung und erweckt gerade von der Seite her, welche der erhabenen Erscheinung fehlt, deren komisches Gegenbild." . . .

„Was fehlt dem titanischen Faust, der in seinem erhabenen Geistesdrange das ganze Universum bewältigen und gleichsam zwingen möchte mit seinem gebieterischen: „Allein ich will!" — was fehlt ihm anderes als *die Einsicht* in die nothwendigen Beschränkungen der menschlichen Natur? Dieses Wollen und Nichtkönnen, dieses erfolglose Ringen ist sein Widerspruch und seine Ohnmacht. Von hier aus gesehen, fällt er in die komische Beleuchtung, und sein richtiges Gegenbild ist Mephistopheles, der sich an dieser Ohnmacht des Titanen in seiner Weise ergötzt.". . .

„Grosze Dichter, deren Geist die ganze Kraft und Tragweite ästhetischer Weltbetrachtung besasz, haben es verstanden, das Erhabene und Komische richtig zu paaren, und es war eine sehr tiefe und menschenkundige Wahrheit, die Sokrates bei jenem platonischen Gastmahl dem Aristophanes auseinandersetzte, wie derselbe Dichter tragisch und komisch zugleich sein müsse.". . .

„*Die Weltideale müssen ihr Schicksal zweimal erfüllen.* Nachdem sie im Leben untergegangen sind, werden sie noch einmal in der bloszen Vorstellung vernichtet: *der erste Untergang ist tragisch, der zweite komisch.*"

---

1) Conferatur Platonis illud: *ἄνευ γὰρ γελοίων τὰ σπουδαῖα μαθεῖν οὐ δυνατόν* (Legg. VII. p. 817).

Nos in Nubium fabulae facetiarum aestimatione magis consentire cum Fischeri quam cum Delapradii opinione, ex tota nostra de Nubibus disputatione apparebit, in qua tria conabimur ostendere:

(1) Socraticos eorumque studia aut parum aut omnino non perstringi, Strepsiadem contra per totam fabulam ipsius erroris esse ludibrium, ideoque

(2) Non Socratem sed Strepsiadem primas agere partes, et

(3) Aristophanem non odio in philosophica studia perductum fabulam suam scripsisse, sed praesertim eo consilio, ut populi libertatis studia atque de philosophis falsas opiniones in ludibrium verteret. Prout igitur sese offeret occasio, ad tria illa erit attendendum.

Varias ob causas nostram de utriusque *Λόγου* certamine disputationem praemisimus totius fabulae consilii investigationi. Ipsa enim *τοῦ δικαίου καὶ τοῦ ἀδίκου λόγου* comica oppositio, quae totius comoediae cardo est habenda, tantam praebet observationum materiem, ut èt vis comica Aristophanea in universum quid spectet, èt qua re certamen illud omnino non e fabula nostra omitti queat, aperte nos demonstrare posse confidamus.

Partem priorem divisimus in tria capita:

Capite I inquiritur in causas quibus motus poeta *τὸν Ἄδικον Λόγον* superiorem fecerit evadentem.

Caput II agit de comicae oppositionis significatione.

Caput III varias virorum doctorum refert de certamine opiniones.

Pars posterior divisa est in sex capita, quorum primum agit de totius fabulae proposito; in ceteris quinque fabulae actus deinceps tractantur. Eo autem consilio totam fabulam inde ab initio tractavimus, ut facilius probari posset in Strepsiadis erroribus animique affectibus usque ad *τὴν καταστροφήν* quae vocatur inesse gradationem, utque appa-

reret omnia in Nubium fabula optime cohaerere, causasque non adesse, cur concedamus duplicis recensionis inesse vestigia. Deinde ne cui nimis arida videretur nostra *de facetiis* disputatio — dixit enim Caesar (cf. Cic. de Orat. II, 217): „Omni de re facetius puto posse quam de ipsis facetiis disputari" — scaenas facetiasque singulas enarrare libuit iisque observationes nostras annectere. Quodsi quis iudicet nos interdum ad nimis fusam prolixamque disputandi rationem esse delapsos, is recordetur quaeso nulli rei magis nos dedisse operam quam ut lectoribus persuaderemus nullum dictum nullamque facetiam, quae ab adversariis adhiberi possit ad nostram argumentationem refutandam, temere a nobis esse neglectam. Quantum enim fieri poterat ubique sine ira in Aristophanem sine studio erga Socratem materiem propositam volui tractare, horum Baueri verborum memor:

„Es giebt keine wahre objective Kritik, ohne dass man sich gegen das Resultat mehr oder minder indifferent verhält und alle subjectiven Beziehungen zu dem Object der Kritik so viel möglich von sich ablöst" (F. C. Bauer, Krit. Unters. ü. die kanonischen Evangelien p. 72).

Hoc autem tenendum: nullum praeter Socratem a poeta irrideri hucusque apud plerosque viros doctos constitit, — nos contra ad Strepsiadis praesertim errores et nugas voluimus attendere, licet minime nos fugiat saepe Aristophanem, quod comici est ius ac munus, in Socratem quoque spectatorum concitasse risus. Duo praecipue sunt ad quae semper attendere in animo est: saepissime poeta philosophum intactum praetermittit, ubi interpretes male Socratem vexari voluerunt; deinde rustici stultitia ab initio usque ad fabulae exitum attentionem nostram — pariter atque olim opinor spectatorum Atheniensium — prorsus a Socratis avocat persona.

DE NUBIUM FABULA.

PARS PRIOR.

De utriusque *Λόγου* certamine (vs. 889—1105).

CAPUT I.

Cur poeta Improbum fecerit vincentem.

§ 1. Fac aliquem ex insita nativaque indole iustitiae sinceritatis probitatis quam maxime esse studiosum, eundem autem in societate atque vita communi propter illud ipsum aequitatis studium saepe multa expertum esse acerba, — quis non sentit talem virum iustum probumque interdum facile posse adduci, ut secum reputet, num forte sua sibi indoles sit perniciosa, iniusto enim improboque coepta prosperius succedere solere quam iusto, utque defendere instituat — sit animi causa — sententias quales Glauco in Platonis Republica (II. 3 sqq.) defendendas suscepit:

οὐδεὶς ἑκὼν δίκαιος ἀλλ' ἀναγκαζόμενος. λυσιτελεῖν γὰρ δὴ οἴεται πᾶς ἀνὴρ πολὺ μᾶλλον ἰδίᾳ τὴν ἀδικίαν τῆς δικαιοσύνης.

Sunt revera quibus ipsorum privata commoda magis sint curae quam èt aliorum civium singulorum èt civitatis societatisque salus; talium sane est rogare: „Utrum mihi magis est cordi, propria an aliorum felicitas? Nonne verecundia modestiaque, civitatis ergo culta, me multis solet privare oblectationibus voluptatibusque? Quis me cogere poterit ut sim iustus erga alios, iniustus autem in me ipsum?"

Qui autem minus moratur propriam utilitatem quam iustitiae studium, ac, poeta cum sit, penitus sentire solet quam nefarie atque atrociter in vita cotidiana saepe potentior iustiorem, iniustior vincat imbecilliorem, is facile adducitur ut iniustitiae, quam videt, pingat imaginem.

Sic saepe tragicus poeta vel comicus in fabulis suis *iustum* facit succumbentem, iniustum autem vincentem. In tragoedia enim ex iusti herois aerumnis, — si non immeritis, tamen cum eius culpa minime congruentibus, — oriuntur effectus tragici [1]. In comoedia si poetae pingere propositum est deformitates turpitudinesque, quae et animum eius saepe commoverunt et facetiarum praebent materiam, facile adducitur — pravarum opinionum ridendarum causa — ut quod est turpe atque inhonestum faciat superius discedens. Sic Aristophanes in ea Nubium parte, quae *cardo comoediae* esse mihi videtur, in certamine *τοῦ Ἀδίκου καὶ τοῦ Δικαίου Λόγου,* iniustum oratorem facit vincentem; sic in altercatione patrem inter et filium (vs. 1321—1446) hic probare instituit verberare patrem sibi licere; sic in fabulae fine immerito Socratis meditaculum incendit rusticus iniquus atque fraudulentus. Dixeris spectatoribus nonnullis, probis hominibus atque honestis, praesertim in comoedia, magis placiturum fuisse, si e contrario *Δίκαιος* ille *Λόγος* vinceret Socratisque sapientia evaderet superior. Poeta autem id non curavit, sed nobis pinxit rerum vitaeque humanae naturam non qualem auditores et spectatores honesti eam solent exoptare, sed *qualem* ipse *videbat.* Poetae enim si, effectuum comicorum causa, quae vident, nuda et aperta spectatorum offerunt oculis auribusque, facile perducunt auditores ad cogitandum de rebus, quae ridendi causa tractantur. Haec autem turpia comice, ut comoediam decet,

---

1) cf. Aristotelis de arte poet. c. 13.

depicta, inconsideratorum etiam ultra poetae voluntatem movent cachinnos, quemadmodum Avarus ille apud Molierum, — at penitus sentientem talia, haud aliter possunt afficere ac si non comoediam spectaret sed tragoediam; etenim bene morato misericordia videbitur dignus Harpago ille, quippe qui, dum aliter se gerere *ne velle quidem* potest, quasi innatae suae avaritiae ludibrium, èt sibimet ipsi èt proximis familiaribusque quam maxime sit oneri atque incommodo.

In Nubium autem fabula Strepsiades, qui aeque atque Avarus ille, vesanis opinionibus obstrictus per totam fabulam spectatorum quam maxime movet attentionem, idcirco minus miseratione nostra est dignus, quia quae cupit atque patitur non tam ut apud Avarum innatae indoli sunt tribuenda quam absurdo decipiendi studio, quod studium a poeta nimis pingitur stultum quam ut vera haberi possit miserandi mortalis cupiditatum imago. Cui igitur oppositio, quae intercedit inter Socratem ac Strepsiadem, nimis offensionis videtur plena, is secum reputet philosopho, philosophiaeque studiis vitio non esse vertendum, quod vesanus rusticus aliquis prava de illis studiis opinione est obstrictus. At — huius loci non est urgere quaestiones, quas postea accuratius tractabimus.

§ 2. Alia accedit causa, cur Aristophani licuerit in illo duorum oratorum certamine *τὸν Ἄδικον* facere vincentem. Quamquam, ut jam significavimus, iustitiae iniustitiaeque illa oppositio apud alium spectatorem alias movet cogitationes, alios affectus sensusque, secundum variam hominum indolem educationem institutionem eruditionem, — cuius rei poetam nostrum conscium fuisse nemo negabit — tamen optime secum reputasse mihi videtur comicus, se *vulgus ignarum* et *profanum*, quod per Bacchanalia,

furendo atque bacchando, ad genio indulgendum libidinibusque est propensum, *magis eo delectaturum esse si Λόγος Ἄδικος hilaris ille superior evaderet quam si Λόγος iste Δίκαιος, odii taediique plenus.*[1])

Singulorum libertatis studia, quibus Athenienses libenter inserviisse apparet, plerumque minime concordare cum reipublicae salutis cura, legum morumque conservatione religiosa, illa e contrario saepe hisce esse opposita, nemo contradicet. Maior autem eorum pars, qui Athenis fabulas spectatum ire solebant, inclinabat praesertim Bacchanalium temporibus ad petulantiam, laetitiaeque erat cupida. Quid mirum spectantium consessui nimis severos mores, nimis diligens scrupulosumque virtutis studium non mediocriter videri ridiculum? Si Athenis maior spectantium pars in virtute colenda fuisset severa verecundaque, Aristophaneae comoediae favorem atquo assensionem non captassent; ne scribi quidem aut saltem in scaenam produci potuerant.

In rationem, quae inter spectatores atque poetam ipsum necessario solet intercedere, libet hic paulo accuratius inquirere.

Quemadmodum nos in vita cotidiana facile cognoscimus hominum indolem eruditionisque ac doctrinae gradum ad quem quisque pervenerit, si in facetiis promendis diligenter attendimus quonam iocandi genere maxime delectentur, sic in comoediis nobis plausus atque acclamationes certa sunt

---

1) cf. Lucian. Pisc. c. 25: *Φύσει γὰρ τοιοῦτόν ἐστιν ὁ πολὺς λεώς, χαίρουσιν ἀποσκώπτουσι καὶ λοιδορουμένοις, καὶ μάλισθ' ὅταν τὰ σεμνότατα εἶναι δοκοῦντα διασύρηται, ὥσπερ ἀμέλει καὶ πάλαι ἔχαιρον Ἀριστοφάνει καὶ Εὐπόλιδι Σωκράτη τουτονὶ ἐπὶ χλευασίᾳ παράγουσιν ἐπὶ τὴν σκηνὴν καὶ κωμῳδοῦσιν ἀλλοκότους τινὰς περὶ αὐτοῦ κωμῳδίας. καίτοι ἐκεῖνοι μὲν καθ' ἑνὸς ἀνδρὸς ἐτόλμων τοιαῦτα καὶ ἐν Διονύσου ἐφειμένον αὐτὸ δρᾶν, καὶ τὸ σκῶμμα μέρος ἐδόκει τῆς ἑορτῆς, καὶ ὁ θεὸς ἴσως χαίρει φιλόγελώς τις ὤν.*

indicia ad spectatorum ingenium et opiniones cognoscendum. „Durch Nichts — dixit Goethius — bezeichnen die Menschen mehr ihren Charakter als durch das, was sie lächerlich finden." cf. Carrière, Aesthetik. (Vol. I, p. 182).

Populi igitur mores atque eruditionem quasi metiri atque aestimare possumus facetiarum ratione, ideoque in scaena dictorum genus congruere debet cum spectantium ingenio atque animi cultura. Qui auditores capere et tenere cupit, eorum intelligentiae et captus rationem habere debet. Itaque ex facete dictis, risum moventibus, nobis non tantum cavillatoris ingenii acumen, sed etiam indoles, sententiae, voluntates approbantium apparent. Qui igitur, ut Aristophanes, omnia experitur, nihil intentatum relinquit ut plausum atque cachinnos moveat, maxima deinde ex plausibus illis provocatis sibi praebet indicia, ex quibus statuere possit, quid facetiarum flagitent spectatores, nec non ad quem eruditionis gradum pervenerint. Nempe per plausus ac risus ultro ac sponte indicant spectatores, quomodo ipsi opinentur atque sentiant, et sic poetae ingenioso, populi voluntatum non ignaro, neglecta ipsius de omnibus rebus sententia, non erit difficile iam in comoediis scribendis prospicere, quanto plausu atque clamore opus suum in scaena populus sit excepturus.

Hisce omnibus perpensis facile mihi persuasi *Aristophanem nonnumquam id agere debuisse ut loqueretur atque iocaretur tamquam populus.* Quia multis in rebus ad vulgarem popularemque sensum atque gustum sese accommodavit, semper fuit populo gratus et acceptus, semper fuit popularis.[1])

Non autem semper multitudinis desideriis satisfacere

---

1) Video eodem modo de comoedia Attica in universum iudicasse Joannem Georgium Sulzerum (Die Attische Epoche der griech. Litt. u. Kunst. Nachträge zu Sulzer's Theorie der Schönen Künste):

„Die alte Komödie war recht eigentlich ein Schauspiel für ein

voluisse videtur noster. Etenim qui comicus poeta auram popularem negligere videri nolebat, spectatoribus vix impune negaturus erat ea, quae noster se populo largitum esse diserte negat in parabasi. (Vide quae de parabaseos significatione disputabimus in huius opusculi Parte II). Et haec ipsa fortasse causa fuit, cur Nubium fabula tertium tantum reportaverit praemium, utpote vulgo nimis σώφρων (vs. 537) i. e. carens εὑρήμασιν (561), quae semper vulgari placebant sensui (vs. 536—544).

§ 3. Homines severos, literatos, ingenuos de comoediis Aristophaneis in universum, de Nubibus autem praecipue, prorsus alio modo iudicasse quam vulgus illiteratum inconsideratumque, supervacaneum est dicere. Qua re Aristophanem non mediocriter erravisse dixerim, si pingere institueret condiciones rationesque, quae vulgo, cui erant notissimae, placerent, cogitare se ac loqui simulans tamquam

---

Volk, bei welchem demokratischer Uebermuth und Neigung zum Spott, mehr als bei irgend einem andern Volke der ganzen Welt, einheimisch war, und sie wurde nur in solchen Zeiten aufgeführt, wo ein religiöses Herkommen zu einer noch gröszern Ungebundenheit, Muthwillen und Zügellosigkeit, als gewöhlich, zu berechtigen schien.

Es ist also hierbei gar nicht zu verwundern, dasz die komischen Dichter in der Wahl des Stoffes und der handelnden Personen, in der Ausführung und dem Ausdrucke, *den Neigungen und dem Geschmacke des Volkes fröhnten und sich alles erlaubt hielten, was zum Vergnügen der Menge diente.* . . . In der Hand gutgesinnter Dichter konnte dies Werkzeug dem Staate nützlich sein; aber schrecklich und giftig war es in der Hand eines Bösewichts.

Ueberhaupt scheint der Ton der alten Komödie mit wahrhaft edlen Gesinnungen und einem gereinigten Geschmacke unverträglich zu sein."

Tale iudicium de comicis poetis, vulgo gratis, cum iam diu sim opinatus multum valere ad comoedias Aristophaneas recte aestimandas, gaudeo teste Sulzero nostram sententiam posse confirmari. Apparet difficile esse non iam dicta in medium proferre.

plebs illa, èt tamen *iudicibus* δεξιοῖς fabulas suas probare conaretur. Quod ad Nubes pertinet, cf. vs. 520 sqq.:

οὕτω νικήσαιμί τ' ἐγὼ καὶ νομιζοίμην σοφός,
ὡς ὑμᾶς ἡγούμενος εἶναι θεατὰς δεξιούς,
καὶ ταύτην σοφώτατ' ἔχειν τῶν ἐμῶν κωμῳδιῶν,
πρώτην [1]) ἠξίωσ' ἀναγεῦσ' ὑμᾶς, ἣ παρέσχε μοι
ἔργον πλεῖστον· εἶτ' ἀνεχώρουν ὑπ' ἀνδρῶν φορτικῶν
ἡττηθείς, οὐκ ἄξιος ὤν· ταῦτ' οὖν ὑμῖν μέμφομαι
τοῖς σοφοῖς, ὧν εἵνεκ' ἐγὼ ταῦτ' ἐπραγματευόμην.

Vs. 561 sq. legimus:

ἢν δ' ἐμοὶ καὶ τοῖσιν ἐμοῖς εὐφραίνησθ' εὑρήμασιν,
ἐς τὰς ὥρας τὰς ἑτέρας εὖ φρονεῖν δοκήσετε.

cf. Vesp. 1046 sqq., praesertim vs. 1049:

ὁ δὲ ποιητὴς οὐδὲν χείρων παρὰ τοῖσι σοφοῖς νενόμισται.

Accedat Ran. vs. 705: „Nisi obtemperetur meis consiliis" — sententiae summam refero —

ὑστέρῳ χρόνῳ ποτ' αὖθις εὖ φρονεῖν οὐ δόξομεν.

Quomodo *lector* hodiernus satis sincerus — quem nemo negabit magnopere distare ab *auditore spectante*, Aristophanis κωμῳδοδιδασκάλου [2]) aequali — de poetae fabulis iudicet, luculenter nobis indicant verba viri cl[i]. Allardi Piersoni (Hellas vol. III p. 418): „Soms moeten we lachen en willen we het ook. Soms moeten we lachen en willen we het niet. Soms is lachen ons onmogelijk, ook met den besten wil."

Iuxta, minime *contra* haec verba liceat nonnulla animadvertere. Designat vir clarissimus comicum germanum genuinumque, inexorabilem, acerbe severum, immisericordem, qui sensum, quem *Witzkitzel* Germani lepide vocant, reprimere neque valet neque cupit, qui *amat perdere amicum quam dictum* [3]); denotat affectus, quos ioci èt

1) πρώτην. Ita Welcker, πρώτους codd.
2) cf. Equit. 504, 514; Pax 736.
3) cf. Cic. de Oratore II, 54, § 221: parcebat enim (Crassus) adversarii dignitati, in quo ipse conservabat suam; quod est

tempestivi èt indecori inhonestique, facetiae èt innocuae èt temerariae necessario in uniuscuiusque sinceri severique viri moveant mente; minime autem sensus, quibus homines inconsiderati, qui facile in cachinnos soleant effundi, afficiuntur. Piersonus ex suis ipsius affectibus efficit fabulas Aristophaneas ad νόθον τι γένος τέχνης pertinere. [1]) Immerito m. i. si attendas ad id, quod poeta inprimis voluisse videtur, sc. *delectare vulgus illiteratum.* [2]) Rogat porro Piersonus, „waarom deze grappenmaker zich een oordeel vergunt over dingen, die blijkbaar zijn bevatting te boven gaan. Hoe kan deze censor van zeden en richtingen zoo vroolijk zijn?" Prioris quaestionis responsum satis in promptu esse mihi videtur. Etenim solet comicus iis rebus, quae affectus moveant comicos, nimis titillari atque stimulari quam ut risu et facetiis possit temperare. Deinde cadit fere in comicos quod Lucianus (Ad Nigrinum epist. init.) refert Thucydideum [3]):

ἡ ἀμαθία μὲν θρασεῖς, ὀκνηροὺς δὲ τὸ λελογισμένον ἀπεργάζεται.

Alteram quaestionem reapse ex errore vulgato, sc. Aristo-

---

hominibus facetis et dicacibus difficillimum, habere hominum rationem et temporum et ea, quae occurrunt, cum salsissime dici possunt, tenere; itaque non nulli [ridiculi homines] hoc ipsum non insulse [interpretantur] dicere [enim] aiunt Ennium, *flammam* a sapiente (a faceto?) *facilius ore in ardente opprimi, quam bona dicta teneat.*

1) „A.'s werk behoort tot een bastaardsoort" (l. l.).

2) cf. Prooemii § 6, p. 21 sq.

3) Celebris Thucydidis sententia, saepe ab antiquis adhibita, legitur l. II. c. 40: τοῖς ἄλλοις ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει.

cf. Iacobi Bernaysii de Luciano iudicium (Lucian und die Kyniker p. 43): „Kein Leser des Lucian wird es sich verhehlen können und hat es sich wohl je verhehlt, dass er eben so wenig die philosophischen Systeme, die er verspottet, wie das epikureische, das er schliesslich erwählte, jemals in ihrem organischen Zusammenhang zu ergründen auch nur Anstalt gemacht hat."

phanem unice favisse reipublicae saluti, ortam esse, in Prooemio iam ostendere sumus conati.

Iudicium nostrum in fabulis Aristophaneis *legendis* ultro nimis fieri severum, minime est mirandum. Si enim inter legendum ridere *non* possumus, sive quia desunt gestus, vocis modulationes, staturae, saltus, sive quia quae legimus non quasi histrionis sententiam absurdam habemus, sed poetae ipsius esse putamus, — si ridere non possumus, licet animus noster sit promptus et alacer, tunc facile adducimur ut, quae sunt facetiae merae absque omni consilio prolatae, habeamus pro seria comici poetae ipsius sententia, utque ludum innocuum putemus rem seriam magnique momenti, odii fortasse invidiaeque plenam; et sic ad consilia inhonesta cavillatori imputanda mox sumus propensi. Homines severi non facile solent ioculari cavillarique, ne in errorem ducant alios de ipsorum opinione seria. Comicus contra, cui in medullis haeret facetiarum cupido, nihil curat errores, sed *flagitat* ab auditoribus spectatoribusque *ut rideant*, i. e. ut ridendo significent minime se pro seriis accepisse quae ille per iocum dixerit.

§ 4. Aliam denique, sc. tertiam causam indicandam esse arbitror, cur comicus noster sibi sumpserit ut *τὸν Ἄδικον Λόγον* faceret vincentem. Quaestionem, num ii, qui iustae probaeque sint indolis, mereantur laudem, honorem, felicitatem, quae provenire soleant ex iustitiae probitatisque studio et consectatione, proinde ac improbi iniustique, secundum humanas de iustitia notiones, dedecore atque doloribus habentur digni — quaestionem illam in seria de iustitia iniustitiaque disputatione negligi non licebat. Antequam videamus, num Aristophanes talia cogitaverit, paulo accuratius fortasse est significandum, quid velimus. Faciamus aliquem iustum esse non ex magna virium intentione, non

cupiditatibus resistendo, sed ultro ex natura indolis ipsa, i. e. quia aliter se gerere non possit, cum patrias avitasque virtutes quasi hereditate acquisiverit — rogaveris cur tali viro, iusto quidem sed nullo suo merito, honor laus beatitudo quasi virtutis, quam nullo labore nanctus sit, praemia in gremio sint ponenda.

Nonne — ita quispiam roget — iniusto, qui semper ubique contra ipsius indolem inclinationesque contendere cogitur et ex iniusto iustum se praebet, maiorem sibi vindicare laudem atque felicitatem licebit? Denique, ita facile perget rogare qui moribus legibusque constitutis adversatur, denique cur magis dignus est cui contingat vita felix, qui nullo suo merito sive labore sit iustus quam qui, indole ac natura ad mala vitia propensus, iustitiae invitus sit expers?

Ex philosophorum severorum sententia propriis resistere debemus cupiditatibus, cum iis certare, si nobis decus gloriam beatitudinem cupimus vindicare. Quid autem poetae comico cum ista opinione, comico, dico, qui hilari animo cum videri ac esse cupiat, animi autem aegritudine interdum ob istiusmodi de mundi vitaeque aenigmatis cogitationes opprimatur, facile adducatur ut facetias suas ex mundi funditus eversi petat fictione.

Si — ut magis etiam appareat quantopere distent hilares a seriis de ratione vivendi cogitationes — comparamus Hesiodi pronuntiatum (τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν, Opp. 285 sq.) cum Protagorae illo mytho notissimo (νόμον γε θὲς — sunt ipsius Iovis verba — τὸν μὴ δυνάμενον αἰδοῦς καὶ δίκης μετέχειν κτείνειν ὡς νόσον πόλεως), tunc videmus secundum Hesiodum homines, *si velint*, consectari et acquirere *posse* virtutem atque — felicitatem (hoc enim praemium laboris fore sine dubio arbitratur poeta, cf. Ciceronis et Stoicorum illud: virtutem

ad beate vivendum se ipsa esse contentam), secundum Protagoram autem nonnullos iustitiae verecundiaeque *exheredes*, qui ex dei immisericordis voluntate damnati sint ut de civitate quasi insani vel scelesti exterminentur, numquam *posse* (*δύνασθαι*) *μετέχειν αἰδοῦς καὶ δίκης*, i. e. virtutum, quae ad beate *inter cives* vivendum sint necessariae.

Facile intellegitur per Bacchanalium tempora èt spectatoribus èt comico talia philosophorum placita non tam idonea videri ad hilaritatem effusamque laetitiam excitandam quam *τοῦ Ἀδίκου Λόγου* illa (vs. 1078):

χρῶ τῇ φύσει, σκίρτα, γέλα, νόμιζε μηδὲν αἰσχρόν.

Cur *τῷ ἀδίκῳ* non liceat — sit per exiguum tantum tempus — genio indulgere suo, ac consectari felicitatem, quae ei, qui societati ex indole sua prorsus est accommodatus, i. e. neque nimis iustum [1]) neque nimis iniustum se praebet, in gremio solet poni? Cur *τῇ ἀδικίᾳ* — sensu amplissimo vocem accipias — opus est semper latebris se occultare, ne tamquam *νόσος πόλεως* de civitate exterminetur? Comicus cum esset noster rerumque scaenicarum peritissimus, persuasum sibi habebat, neglectis omnibus de societatis salute curis, talibus meditationibus mortalium mentes, effrenatae libertatis nunnumquam studiosas, posse captari.

„Praebueritne umquam alicui utilitatem *τὸ σωφρονεῖν*?" —

1) Perfectam intemeratamque iustitiam in societate imperfecta sese tueri non posse, quis non magno cum dolore ac aegritudine saepissime est expertus. Nulla societas, utpote ex civibus imperfectis composita, perfecta esse potest, quare, quemadmodum in Natura ipsa lineam rectam ipsamque iustitiam frustra quaesiveris, in vita cotidiana semper iustitiam integram desideramus. Iustissimus quisque igitur dimicare cogitur cum propriis iustitiae notionibus,menti innatis, ut sese accommodet virtutum vitiorumque permixtioni, quam societas aliqua tamquam necessariam colit. Si iustissimus tranquillam in societate vitam posthabet sensui illi divino, cuius in iustitia colenda, neglectis doloribus, particeps fore sibi videtur, haud raro — quod horrendum — proinde ac iniustus e civitate depellitur.

sic vs. 1061 poeta τὸν Ἄδικον rogantem facit. Dixeris summa praemia τῷ σώφρονι contingant necesse esse, siquidem summa animi intentione cupiditatibus solet resistere. Attamen estne revera verecundus modestusque ille laudibus praemiisque dignus, si apparet ipsius naturam quasi voluisse ut sine ulla contentione invitus verecundiae sit particeps? Sic mihi cogitasse videtur poeta cum vs. 1068 post τοῦ Δικαίου verba:

καὶ τὴν Θέτιν γ' ἔγημε διὰ τὸ σωφρονεῖν ὁ Πηλεύς,

τῷ Ἀδίκῳ haecce tribuit:

κᾆτ' ἀπολιποῦσά γ' αὐτὸν ᾤχετ'· οὐ γὰρ ἦν ὑβριστής,
οὐδ' ἡδὺς ἐν τοῖς στρώμασιν τὴν νύκτα παννυχίζειν·
γυνὴ δὲ σιναμωρουμένη χαίρει. σὺ δ' εἶ κρόνιππος.

Licet sententia οὐ γὰρ ἦν ὑβριστής (*libidinosus*) vertere possimus per ἦν γὰρ σώφρων, sic ut non diiudicemus utrum indolis causa an libidinibus resistendo sit σώφρων, — utique verbis σὺ δ' εἶ κρόνιππος aperte indicat ὁ Ἄδικος τὸν Δίκαιον aetate iam nimis esse provectum confectumque senio (fuit enim Μαραθωνομάχων educator, cf. vs 986), quam ut libidinibus resistere ei sit laudi decorique.

Concedo Improbum sua observatione etiam voluisse indicare Peleo σωφροσύνην suam non multum profuisse (cf. vs. 1061), quoniam Thetis eum mox deseruit; verum enim vero, ut mihi videtur, eam praesertim ob causam spectatoribus Pelei verecundia ridicula est visa, quod Thetidi apparuit laudatam illam σωφροσύνην nihil aliud fuisse quam impotentiam imbecillitatemque, ideoque laude minime dignam. Improbum ex suo more mythum de Peleo detorquere apparet, si relegis Iliad. XXIV 59 sqq. et XVIII, 432 sqq. (ἔτλην ἀνέρος εὐνὴν... οὐκ ἐθέλουσα). —

§ 5. De *quarta*, eaque pro fabulae consilio primaria *causa*, cur ὁ Ἄδικος vincat τὸν Δίκαιον, acturi sumus in Parte II.

CAPUT II.

De Probi atque Improbi comica oppositione.

§ 1. Seriam iusti iniustique oppositionem, lineamentis coloribusque conspicuis depictam, invenimus apud Platonem (de Republ. II, 5), qui vitae humanae aenigmata, ad singulorum civium atque reipublicae commodorum pugnam perpetuam pertinentia, non minus penitus et intime sensit quam poetae tragici Graeci et comicus noster.

ὁ δίκαιος μαστιγώσεται, στρεβλώσεται etc.

εἰς ἀγῶνας τοίνυν ἰόντα (sc. *τὸν ἄδικον*) *καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ περιγίγνεσθαι καὶ πλεονεκτεῖν τῶν ἐχθρῶν* e. q. s.

Iam videamus, quo pacto inter sese opposuerit comicus poeta diversas de vivendi ratione sententias.

Statim initio *ὁ Ἄδικος* non solum sibi sed etiam *spectatorum favori* se praebet confidentem.

vs. 892 sq.: *πολὺ γὰρ μᾶλλόν σ'*
ἐν τοῖς πολλοῖσι λέγων ἀπολῶ.

Insano enim populus Atheniensium illis diebus artis disputandi amore erat captus [1]). Quis non sentit hic statim populi studia perstringi.

Incipit certamen a conviciis, infimae plebi semper in pulpito gratis. Neque Iustus neque Iniustus argumentis probare conatur, quae sibi invicem exprobrant; unam tantum argumenti speciem nobis tradit Iniustus, qui, licet sine

1) cf. Stallbaumii de Euthydemo disput. p. 8.

dubio deos non magnopere moretur, tamen argumentum petit ex mythologia (vs. 904 sqq.):

πῶς δῆτα δίκης οὔσης ὁ Ζεὺς
οὐκ ἀπόλωλεν τὸν πατέρ' αὑτοῦ
δήσας;

Optime poeta hanc sententiam initio certaminis ponit. Si enim Iustitia quid sit, unde nata, omnes mortales probe scirent et in agendo se scire ostenderent, videremus παύεσθαι μὲν τοὺς δικαστὰς δίχα ψηφιζομένους, παύεσθαι δὲ τοὺς πολίτας περὶ τῶν δικαίων ἀντιλέγοντάς τε καὶ ἀντιδικοῦντας καὶ στασιάζοντας, παύεσθαι δὲ τὰς πόλεις διαφερομένας περὶ τῶν δικαίων καὶ πολεμούσας (Xen. Mem. IV. 4. 8, sunt Socratis ipsius verba), neque philosophi neque tragici vel comici poetae disputationum de iustitia seriarum et *comicarum* haberent materiem.

Uterque λόγος novi discipuli (Phidippidis) gratiam consequi conatur, idque — quod notandum — tentat maledicta conviciaque in alterum iactando! Oppositio inter ea, quae ab auditoribus exspectantur, sc. argumenta, persuasiones, captationes, et ea, quae ab utroque λόγῳ proferuntur, comicum habet effectum. Iniustus alterum hisce increpat verbis: τυφογέρων καὶ ἀνάρμοστος, ἀρχαῖος, αὐχμῶν αἰσχρῶς, Κρόνος. Iustus minime hac in re inferior discedit, conviciatur enim Iniusto: καταπύγων, ἀναίσχυντος, βωμολόχος, πατραλοίας, θρασύς (bis, vs. 890 et 915), λυμαινόμενος τοῖς μειρακίοις.

Chorus haud dubie spectatorum animi affectionem voluntatemque reddit, hisce intercedendo verbis (vs. 934):

παύσασθε μάχης καὶ λοιδορίας.

„Institutionis rationem uterque rite exponat, ut iuveni audita disputatione sit optio."

Iniustus dicendi copiam facit Iusto, qui inde a vs. 916 usque ad 1024 argumentationem suam profert, bis tantum brevibus exclamationibus ab Iniusto interpellatus (vs. 984:

ἀρχαῖά γε.. etc., vs. 1000: *εἰ ταῦτ', ὦ μειράκιον, πείσει τούτῳ, . . . καί σε καλοῦσι βλιτομάμμαν*).

Qua tandem in re oppositio, comicis effectibus necessaria, posita est in illa Iusti argumentatione? Consistit in eo, quod summa gravitate ac severitate cum *ὁ Δίκαιος Λόγος* suam sibi videatur defendere disciplinam, contra *quasi sibi non conscius* utitur non solum minutis et ieiunis sed, quod gravius est, eiusmodi argumentis et observationibus, quae inprimis ad corporis voluptatibus serviendum sunt destinata; qualia tanta attentione atque studio a cavea summa excipi solent ut, inexspectatis accedentibus oppositionibus, facile moveant cachinnos. Dixeris castum et pudicum illum *Δίκαιον*, qui omnia, quae referri possunt ad corporis voluptatem, a iuventute removeri oportere censeat, minime sibi constare, si, data opera nullis velamentis adhibitis coram iuvenibus ipsis, sua argumenta observationibus sordidis illustrare avide cupit. Audiamus:

vs. 966.: „Olim pueri *ἐν κιθαριστοῦ* sedebant *τὼ μηρὼ μὴ ξυνέχοντες!*"

vs. 973: „In palaestra eos sedere oportebat femore protenso, *ὅπως τοῖς ἔξωθεν μηδὲν δείξειαν ἀπηνές.*" (Leeuwenius coniecit *ἀγεννές*).

Vs. 975 „Quando surgerent, arenam converrere debebant, ne amatores" etc. „Infra umbilicum nulla unctio, unde *δρόσος* ille *καὶ χνοῦς!* Cenantibus pueris non licebat ne caput quidem raphani sumere!" Sic *Μαραθωνομάχους* educavit. Cave credas!

Vs. 990 sqq. tali fere modo Phidippidem alloquitur: „Ego, *ὁ Κρείττων Λόγος*, docebo te fugere forum et balnea, ut ob turpia erubescas, cet., senioribus cedas loco; parentes honorare docebo, in palaestris versari — quae omnia minime sunt contemnenda consilia; sed orator severus mox dilabitur in idem vitium: facere enim non potest, quin post

unius momenti serias observationes moveat cachinnos per ridiculas oppositiones allusionesque, sensus permulcentes: „Si mea observabis praecepta, habebis pectus robustum, colorem roseum (genas roseas), umeros validos, linguam modestam et — γλουτούς carnosos, πόσθην μικράν. Si contra hodiernos sequeris mores, colorem habebis pallidum, umeros invalidos, pectus infirmum, linguam magnam et — πυγὴν μικράν, κωλῆν μεγάλην. Rogamus, num talem argumentationem aliquid salutis afferre posse sit existimandum. Fuitne revera poeta noster, ut nonnulli, quin etiam fere omnes, viri docti perhibent, morum censor severus? [1])

Quid opus est tali censori identidem respicere ad sensuum illecebras corporisque voluptates? Ariphradis quidem sordidissima inventa disertis verbis describenti (Equit. vs. 1284—1289) poetae visum est excusatione opus esse (vs. 1274): λοιδορῆσαι τοὺς πονηροὺς οὐδέν ἐστ' ἐπίφθονον. Licet talem descriptionem unicuique taedium movere facile crediderim, tamen per allusiones, quales in nostra fabula occurrunt, magis irretiri puerorum ingenia quam contra illecebras corruptelarum corroborari persuasissimum mihi habeo. Quid tandem opus censori κινεῖν τὰ ἀκίνητα καὶ καθεστῶτα? Luce clarius est comicum nostrum talibus facetiis ornare debuisse τοῦ δικαίου praecepta, quia, quae cavea flagitabat, necesse erat dare, siquidem risus captare atque favorem vellet (cf. quae de parabasi contendimus).

§ 2. Chorus (vs. 1025—1035) Iusti sapientiam admiratur. Refert Chorus, ut saepissime fit in tragoediis comoediisque, caveae erga certamen studium. Acerrime h. l. αἱ Νεφέλαι se praebent *artis dialecticae* studiosas, vanarum praecipue

1) Secundum W. S. Teuffelium est: „*antiquae simplicitatis amator morumque integritatis*" (edit. latina, 1856, praefat. p. 16). cf. Piersonis verba (Part. I, c. I, § 3, p. 34).

disputationum patronas. Si poeta populi volatici studium διαλεκτικῆς fanaticum voluisset repraesentare, dixeris eum vix aptiorem potuisse invenire imaginem. Optime enim in populum Atheniensium quadrat illa nebulosarum, inconstantium, rerum speciem tantum venerantium dearum imago. Utique ex incultorum opinione habentur Nubes comites, quorum consuetudine philosophi cotidie utuntur.[1]) Deae Nubes illud studium populo quoque insusurrare finguntur. Simul igitur hominum cogitationum causae et fructus effectusque sunt habendae: eodem enim redit utrum dicas omnes fere Athenienses illarum dearum furore esse correptos an omnes insano studio sic indulgere, ut deas esse sibi fingant quae se incitent. Cf. vs. 316 sqq. et vs. 331 sqq.

Fabula nostra hoc Atheniensium studium quam maxime perstringendum sibi sumpsit, quod saepius ostendere conabimur. Erras autem, si putas Chorum τῷ ἥττονι λόγῳ tantum esse fautorem. Stat Chorus in certamine nostro (vs. 1025—1035) a neutra parte; in fabulae fine vss. 1458 sqq. favet τῷ κρείττονι λόγῳ. De hac autem Chori mentis mutatione postea est videndum (Part. II, c. I, § 3).

Hoc loco non negligenda mihi videtur quaestio, quam non facile solvas. Scholiastes ad vs. 888 annotat: μέλος δὲ

---

1) Non plane mihi probantur quae ad vs. 361 annotat v. cl. Van Leeuwen: „Est quod mireris tam honorifice nunc commemorari τὴν σοφίαν καὶ τὴν γνώμην Prodici... dixeris autem eiusmodi argutias, quales Prodicus appetebat, *Aristophani* quam maxime absurdas debuisse videri... Sed nunc ut aliter iudicaret movit Aristophanem Iusti et Iniusti oratorum colloquium, compositum ad exemplum declamationis Prodici celeberrimae" cet. Fere supervacaneum erit dicere non Aristophanem ipsum serio alloqui Prodicum; sunt re vera *Nebulae*, quae loquuntur, Athenienses fortasse volatici. Sic in pulpito ipsius poetae persona pone comicas oppositiones celatur seseque abscondit (Vide Prooemii § 1 et 3).

τοῦ χοροῦ οὐ κεῖται. In Cod. Rav. et Cant. II post vs. 888 legitur χοροῦ. Brunckius perhibet: „post hunc versum recte monuerunt primarii editores, Chorum aliquid intercinisse". G. Hermannus: „oportebat Chorum hic canticum canere ut actu finito. Simulque dum id caneretur, histriones personas mutabant." Si autem mutandarum partium causa aliquot Chori versus olim fuisse ante certamen nostrum est statuendum, necesse est ut cum Bergkio accipiamus post vs. 1104 addendum esse χοροῦ. Rectissime autem Leeuwenius: „aut parum valet hoc argumentum (sc. histrionum partes esse mutandas) aut etiam post vs. 1104 aliquid deesse inde apparet, *utrobique* autem eiusmodi quid intercidisse veri est dissimillimum." Cum rei scaenicae rationibus parum convenire putarim id quod G. Hermannus suspicatur (ad vs. 1105): aliquantisper solum in scaena stare Phidippidem, dum histriones in postscaeniis mutant vestitum.

§ 3. Postquam Chorus vs. 1031 Iniustum est allocutus: „omni tuo mentis acumine opus erit, siquidem illum cupis superare neque ludibrio haberi," — incipit Iniustus suae vitae rationem defendere. Per argumentationem suam (vs. 1036—1082) saepius observationibus minutis interpellatur. „Cur me vocant τὸν ἥττω λόγον?" — sic fere loquitur — „Quia omnium primus, quomodo *legibus decretisque obloqui possimus*, excogitavi. Argumentationem debiliorem suscipere et tamen vincere, ea ingenii facultas decem valet milia στατήρων."

Vs. 1044 sqq. ὁ Ἄδικος τοῦ Δικαίου vitae rationem refutabit. Suspensi sumus animo: exspectamus Iniustum exorsurum esse ab argumentis firmissimis. Quid autem facit? Orditur argumentationem per quaestionem: „cur calida balnea sint vituperanda", quae quaestio nihil commune habet neque cum ipsa δικαιοσύνῃ neque cum σωφροσύνῃ,

sed tantum pertinet ad rationem vivendi, quam Iniustus defendendam suscepit. Agitur enim in nostro certamine de vivendi ratione in universum. Quaestio illa de balneis calidis eo consilio a poeta est instituta, ut Iniustus habeat occasionem argute atque captiose, sed satis innocenter demonstrandi, cur lavacra calida sint laudanda. Postquam dixit Probus balnea calida esse perniciosa, quia homines effeminent atque emolliant (vs. 1046) — quod argumentum magnam habere auctoritatem, nemo negabit — Dissolutus sic refutare studet Probum: „Hercules fortis erat, nonne? iam vero balnea Ἡράκλεια sunt calida!" Hac argumentationis specie Dissolutus, victoria elatus, putat Probum obturbatum (1047). Vis comica èt in hac ipsa oppositione est posita, sc. inter nullius pretii refutationem et oratoris fiduciam, èt in eo, quod gravissimam quaestionem talibus argutiis solutam putat Iniustus. Auditores autem tali altercatione de quaestione ipsa doctiores non sunt facti. Nihil aliud nisi risus movere voluisse poetam ex eo apparet, quod èt Probum nil de balneis amplius contradicentem facit èt Probi argumentum (vs. 1046) non post, sed ante Dissoluti facete dicta est positum, quo fit ut auditores ad eius vim iam minus attendant, quippe cachinnis dediti.

Cum talibus artis dialecticae captionibus conferendae sunt argutiae illae Sophistarum innocuae, quas Plato refert in Euthydemo. Merae sunt nugae, quae nihil habent periculi. An operae pretium esse ducas serio attendere ad ineptam insanamque defensionem huiusmodi thesium: Socrates patrem non habet. Canis est pater tuus (etenim pater est et tuus); si verberas canem, verberas patrem tuum. Vestimenta *videre* possunt. Simul loqui et tacere possumus. Iovem vendere tibi licebit (Plat. Euthyd. 298, 299 A, 300 A, B, 302 E).

§ 4. Restat ut tria adhuc alia Probi pronuntiata refellat Dissolutus:

1. *τὸ ἐν ἀγορᾷ διατρίβειν* esse vituperandum
(vs. 1055, cf. 991).

2. *τὴν γλῶτταν ἀσκεῖν τοὺς νέους μὴ χρῆναι*
(vs. 1058 sq., cf. 1003 sq.).

3. *σωφρονεῖν χρῆναι* (vs. 1060, cf. 1010 sqq.).

Prima thesis *specie* tantum i. e. *σοφιστικῶς* refutatur: „Si perniciosum esset, Homerus neque Nestorem fecisset *ἀγορητήν* neque omnes sapientes."

Secundam pronuntiationem data opera *post tertiam* refellit Dissolutus apteque coniungit refutationem illius cum intemperantiae morumque pravorum eventibus ac periculis, cf. 1076 sq.:

ἥμαρτες, ἠράσθης, ἐμοίχευσάς τι, κᾆτ' ἐλήφθης·
ἀπόλωλας· ἀδύνατος γὰρ εἶ λέγειν.

Rectissime sic Dissolutus secundam et tertiam thesin arcte cohaerere animadvertit. Iam vs. 1060 *δύο κακὼ μεγίστω* vocat loquendi atque disputandi imperitiam et — temperantiae necessitatem, tali imperitiae obnoxiam. Ecce *cardinem* non solum totius nostri utriusque *λόγου* certaminis, sed etiam totius fabulae. Strepsiadi, an dicam toti *δήμῳ*, nimis molestum est *τὸ ἀεὶ σωφρονεῖν*, attamen quid est opus? Discenda est tantum ars dialectica et — impune abibit *ὁ μὴ σώφρων*. Qui bene loqui didicerit, semper ipsius causarum patronus exsistere poterit! Si quis *τὸν ἥττω λόγον* optime sciret, causa cadere non posset. Strepsiadi autem deest tantum *τὸ λέγειν*, vs. 487:

λέγειν μὲν οὐκ ἔνεστ', ἀποστερεῖν δ' ἔνι,

sed surripere posse, quid iuvat si quis non *δεινός* est *λέγειν*? Sic fere Aristophanis temporibus ratiocinari solebant docti et indocti; hi autem nimirum magis serio quam illi. Etenim eloquentiam *omnia posse*, quis tam stultus, ut

credat. Eam permultum valere èt in vita cotidiana èt in foro atque iudiciis, nemo contradicet. Populum dialecticae artis nimia exspectasse commoda, ut credamus facile adducimur; eum autem *serio* τῷ ἥττονι λόγῳ tantam habuisse fidem, ut creditores decipi et domo abigi se sinerent, ne rusticissimus quidem, ipsius Strepsiadis simillimus, revera opinari potest. Nostrae igitur fabulae *principium* atque *fundamentum* in cogitatione tantum exstare potest. Unusquisque spectator totius fabulae fundamentum, quod in versibus 116—119 est positum, consistere non posse intelligebat, ideoque necessario omnia, quae ex eo exstrueret poeta, iocosa atque ridicula esse persensit.

Ex hac igitur certaminis cum totius fabulae consilio comparatione hoc constituere cogimur: certamen utriusque λόγου cum nostrae comoediae contextu arctissime esse conjunctum. (Vide infra huiusce § 4 finem).

Quo tandem modo τὸ σωφρονεῖν χρῆναι confutare conatur Dissolutus? Initio hanc ponit quaestionem, num cui umquam utilitatem praebuerit abstinentia. Probus hic nihil habet quod respondeat nisi: „Peleus accepit μάχαιραν et propter castitatem uxorem duxit Thetidem."

„Machaeram?" — exclamat Dissolutus — „lepidum sane lucrum! Quanto plus commodi afferre solet ἡ πονηρία! Puta Hyperbolum, qui divitias suas pravitati debet ac fraudibus."

„Ad castitatem quod pertinet, non is, qui ad voluptates minime propensam habet naturam, idcirco laude et honore dignus est habendus!" (vs. 1068 sqq.), cf. huius Part. c. I § 4. „Deinde" — sic pergit Dissolutus — „considera, quantis voluptatibus Probo Castoque sit abstinendum: pueris, mulieribus, cottabis, conviviis, potationibus, cachinnis!"

καίτοι τί σοι ζῆν ἄξιον, τούτων ἐὰν στερηθῇς;

Huic rogationi nullum opponitur Probi responsum. Vocat deinde ὁ Ἄδικος libidines τὰς τῆς φύσεως ἀνάγκας (vs. 1075).

Postremo summam genio indulgentiam effusamque in voluptatibus licentiam non solum commendat Improbus, sed etiam Deorum amoribus excusatam demonstrat (vs. 1082):

καίτοι σύ, θνητὸς ὤν, θεοῦ πῶς μεῖζον ἂν δύναιο;

Sic poeta spectatores quasi in terram transfert fabulosam, omni singulorum civium desiderio satisfacientem (vide Prooemii § 1). Iniusti adhortationibus nihil contradicere habet Probus, quod rectissime a poeta est institutum: primum enim Improbus victoriam debet reportare, Strepsiadis illaqueandi causa (cf. Part. II, c. I, § 1), deinde caveae nihil iucundius est quam terrae fabulosae imago, qualem poeta ei libenter offerre videtur ad vitae dolorum paulisper obliviscendum (cf. quae hac de re observavimus Part. I cap. I § 2).

Ad summum autem impudentiae pervenisse dixeris Dissolutum, quando rogare coepit, quid mali habeat τὸ εὐρύπρωκτος εἶναι, impudicum esse, spectatoresque disputationi implicat eosque quasi iudices in ipsorum causa proponit: „Patroni causarum, tragici poetae, populi moderatores et spectatorum maior pars, nonne omnes impudici?" Concedit Probus.

Si Athenienses talibus facetiis audacibus assensum significasse pro certo sciremus, manifestum haberemus documentum, eos aut suam dignitatem civitatisque decus parum curasse aut saltem per Bacchanalia harum rerum sensum morari noluisse. Atqui Nubium fabulam repulsam accepisse scimus, saltem tertium tantum reportasse praemium. Mirandum sane, fabulam, quam secundum Hypothesin VII τῆς ὅλης ποιήσεως κάλλιστόν φασι καὶ τεχνικώτατον quamque scatere festivissimis εὑρήμασιν nemo contradicet, primas non tulisse. Cratini Pytina èt Amipsiae Connas, si non meliores fuerunt, certe quacumque de causa magis placuerunt. Verum enim vero hisce certaminis ultimis audacissimis *in populum universum* conviciis — quibus auditis horrorem spectatores

perstrinxisse dixeris — si tribuis Nubium repulsam, non tam a vero aberrare mihi videris. Facile concedimus infimam plebem inconsiderate erupisse in cachinnos, viros autem δεξιούς, quorum favorem poeta magnopere curabat (vs. 521 et 527), a plausu se continuisse satis putaverim verisimile. Si igitur hanc ob causam cecidit fabula; non propter Socratem sed propter convicia in populum cecidit (cf. Part. I, C. I, § 2 in fine).

Sunt multi viri docti (vide infra huius Partis Caput III), qui contendant, sexti Argumenti auctorem secuti, hoc utriusque *Λόγου* certamen in prioribus, quae dicuntur, Nubibus non occurrisse. Quam opinionem praesertim eo refutari arbitror, quod credi non potest poetam, qui per fabulae retractationem maiorem sane laudem consequi studeret quam prioribus Nubibus sibi comparasset, tam longe a sana mente aberrasse ut sibi fingeret per extremam huius certaminis partem se revera maiorem a bene moratis favorem esse percepturum?

§ 5. Iam videamus de audacissimis Improbi consiliis, quam maxime sane reipublicae saluti perniciosis.

Vs. 1079 dicit ὁ *Ἄδικος:*

μοιχὸς γὰρ ἢν τύχῃς ἁλούς, τάδ' ἀντερεῖς πρὸς αὐτόν·
ὡς οὐδὲν ἠδίκηκας; cet.

Haecce verba in memoriam revocant Isiciarii vitae consuetudines (Equit. vs. 417 sqq., praesertim vs. 427): „surripere, infitias ire, dolose abscondere, en tria, quae te reddant idoneum, ut rempublicam administres." Talis fere horum versuum est sensus. Conferendus est vs. 637, in quo enumerantur quae oratoribus sunt necessaria: *θράσος, γλῶττα εὔπορος, φωνὴ ἀναιδής.* Didiceratne Isiciarius talia a Sophistis vel a Socrate? An potius perstrinxit poeta populum ipsum, qui èt nimis propensus erat ad pravitatem èt propter mentis

caecitatem nimiam collocare fiduciam solebat in oratorum ducumque integritate? Haec populi indoles sane quam maxime Sophistarum disciplinae erat idonea. Valent hac in re quae dixit Molierus, poeta comicus, de sui temporis populi erga sacerdotes credulitate:

> Nos prêtres ne sont pas ce *qu'un vain peuple* pense,
> Notre crédulité fait toute leur science;

sic èt sacerdotes èt populum ipsum perstringens. Inveniebant Sophistae ubique aures auditorum avidas, animum apertum, libenter philosophorum praecepta accipientem, non cognitionis et scientiae ipsius cupiditate ductum, sed libertatis propriae studio. Quae enim antea necessaria, legum hominumve auctoritate incommutabilia habebantur, propter novam istam Sophistarum doctrinam considerabantur ut forte fortuna oblata vel ex arbitrio orta. Poeta noster èt in Equitibus èt in Nubibus populo inconsiderato, a pravitate non alieno, aperire oculos in animo habuit, nusquam autem ex nostra fabula apparet eum *philosophiam odisse*, ut hucusque permulti viri docti putasse videntur (cf. e. gr. Teuffelii sententia, p. 42 nota). De hac re postea accuratius videbimus. Hic tantum animadvertere libet, nostram opinionem statim iis confirmari verbis quae vs. 1080 leguntur: εἶτ' εἰς τὸν Δί' ἐπανενεγκεῖν sqq. (refer culpam peccatorum tuorum in Iovem). Voluitne poeta hocce additamento significare, philosophos omnia sua vitia peccataque ita solere excusare atque defendere? De talibus διαλέγεσθαι amabant philosophi, et eiusmodi disputationis comicam imaginem nobis praebet poeta (vide c. III, § 10). An credendum putaveris umquam exstitisse philosophum, qui *serio* furta et scelera defendere atque civibus suis probare studuerit? Qui comicus talia in pulpito dicentem facit histrionem aliquem, maioris mali auctor esse potest quam ipse philosophus, qui, διαλεγόμενος περὶ δικαιοσύνης atque animi causa

iniustitiae defensionem suscipiens, amicos et prudentes dialogi socios, quippe qui disputationis consilium perspiciant, in errorem non ducit. Multum interesse inter dialogum et comoediam iam vidit Lucianus (Prometh. es in verbis c. VI):

οὐ πάνυ γοῦν συνήθη καὶ φίλα ἐξ ἀρχῆς ἦν ὁ διάλογος καὶ ἡ κωμῳδία, εἴ γε ὁ μὲν οἴκοι καθ' ἑαυτὸν καὶ νὴ Δία ἐν τοῖς περιπάτοις μετ' ὀλίγων τὰς διατριβὰς ἐποιεῖτο, ἡ δὲ παραδοῦσα τῷ Διονύσῳ ἑαυτὴν θεάτρῳ ὡμίλει καὶ ξυνέπαιζε καὶ ἐγελωτοποίει καὶ τὸ ὅλον, ἀναπαίστοις μέτροις ἐποχουμένη τὰ πολλά, τοὺς τοῦ διαλόγου ἑταίρους ἐχλεύαζε φροντιστὰς καὶ μετεωρολέσχας καὶ τὰ τοιαῦτα προσαγορεύουσα· καὶ μίαν ταύτην προαίρεσιν ἐπεποίητο ἐκείνους ἐπισκώπτειν καὶ τὴν Διονυσιακὴν ἐλευθερίαν καταχεῖν αὐτῶν, ἄρτι μὲν ἀεροβατοῦντας δεικνύουσα καὶ νεφέλαις ξυνόντας, ἄρτι δὲ ψυλλῶν πηδήματα διαμετροῦντας, ὡς δῆθεν τὰ ἀέρια λεπτολογουμένους. ὁ διάλογος δὲ σεμνοτάτας ἐποιεῖτο τὰς συνουσίας φύσεώς τε πέρι καὶ ἀρετῆς φιλοσοφῶν.

Sententias, quales occurrunt vs. 1081 sq. (de Iove, amoribus succumbente), vs. 901 sqq. (*οὐδὲ γὰρ εἶναι πάνυ φημὶ δίκην*, nempe Iupiter, patrem postquam in vincula coniecit, adhuc vivit), vs. 1418 sq. (aequius esse, senes plorare quam iuniores, quanto minus iustum est senes peccare), si in pulpito serio vel iocose dicuntur a quovis histrione, neque ab alio refutantur aut in ludibrium vertuntur, populi vel imperitorum erga deos et parentes pietati religionique perniciosas esse posse, *si nimis serio accipiuntur*, facile intellegitur. Attamen est sciendum homines inde ab antiquissimis temporibus libenter deos hominum instar putavisse, sibi deos finxisse figura, voluntate, studiis humanis praeditos. Ideo minime est mirandum mortales hac similitudinis opinione ductos, praesertim Graecos, qui tanta

ingenii ubertate excellebant, familiariter diis uti fuisse solitos atque nonnumquam eidem necessitati ac fato èt deos èt mortales obnoxios putavisse.[1]) Quare pro certo affirmare ausim, Graecos tales de rebus divinis deque pietate erga parentes facetias vix pro serio accepisse, quod si fecissent, talia in scaena non potuissent identidem offerri (cf. e. gr. de Baccho facetias in Ranarum fabula). Verum enim vero si facimus comicum nostrum hic pingere atque subsannare voluisse Socratis suorumque impietatem — id quod nego — totamque *τοῦ Ἀδίκου Λόγου* argumentationem proposuisse tamquam Socratis ipsius persuasionem — quod absurdum (cf. infra c. III, § 10) —, tum spectatores primum quidem risisse facile credam, sed mox, *τοῦ Ἀδίκου* verbis pro seriis acceptis Socratis opinionibus, risum vertisse in indignationem, et a posteritate poetae merito quam maxime vitio est vertendum, quod coram infima plebe vulgoque bruto Socrati tribuat sententias quae non facile refutari posse videantur et a poeta re vera minime refutantur. Neque Aristophanem id voluisse, neque spectatores facetias sic potuisse accipere, praesertim ex nostrae disputationis Parte II plenius, uti speramus, apparebit.

---

1) cf. Taine, philosophie de l'art en Grèce, III p. 40 sq. ed. Baillière: Le poète théologien circule dans son monde divin avec une liberté et une sérénité d'enfant, qui joue. On l'y voit s' égayer et rire, quand il montre Arès surpris auprès d'Aphrodite... Des dieux si rapprochés de l'homme deviennent bientôt ses camarades et deviennent plus tard son jouet. L'esprit si net... s'amuse des mythes, qu'il a faits (Vide insuper Van Limburg Brouwer, specimen inaug. 1820 cap. II). Gravioribus verbis idem ait Schömannus (griech. Alterth. II, p. 123 sqq.): „Wenn auch die dichterische Mythologie niemals die Auctorität einer Glaubenslehre über die Götter und göttlichen Dinge beanspruchte oder erlangte, so ist doch dies ganz unverkennbar, dass der religiöse Glaube des Volkes, das den Gesängen seiner Dichter lauschte, durch sie statt geläutert zu werden, *vielmehr verwirrt und irre geführt werden musste.*"

§ 6. Ad vs. 1102(3) v. cl. Van Leeuwen praeter alia haec annotavit: „ἐξαυτομολεῖν nonnisi in *Socraticorum* castra potest dici. Scholam Socraticorum intraturus Iustus *en pallium meum!* ait vestem ponens, quoniam γυμνοὺς εἰσιέναι νομίζεται (vs. 498)."

Ut huius Partis c. III § 10 argumentis sumus probaturi, uterque Λόγος e meditaculo est egressus, utpote qui illic domicilium habeat vel versari sit solitus, arti deditus dialecticae. Cum in scaenam prodiit Δίκαιος Λόγος ille frigidus et lentus, caveae non admodum erat gratus atque acceptus, vestitus eius nimis erat antiquus et prisci moris et lugubris, orationes de abstinentia taedium tantum poterant movere. Repente autem auditores capit observationibus suis temerariis et ad corporis voluptates pertinentibus, *ipsiusque virtutes vertentibus in ludibrium.* Praesertim oppositio illa, quam intercessisse iam vidimus inter habitum lugubrem atque dicta profana, cachinnos movet et sic ὁ Δίκαιος in caveae venit favorem. Sensim paulatimque cavea, quam poeta ut prava cupientem sibi finxit ideoque tam saepe perstringit, τὸν Δίκαιον propius sentit accedere ad suas ipsius rationes vivendi. Tandem ipse Probus perspicit se ab hominibus nova disciplina imbutis non diutius segregatum posse vivere, vestes antiquas lugubresque exuit (δέξασθέ μου θοἰμάτιον) et — ἐξαυτομολεῖ πρὸς novos amicos.

Perspicuum est verbum ipsum ἐξαυτομολεῖν nimiam praebere difficultatem, si Leeuwenio assentimur. Domicilium habebat ὁ Δίκαιος in Socratis φροντιστηρίῳ — id enim concedendum nisi Socraticos data opera quam maxima iniuria afficere mavis —; iam quomodo ἐξαυτομολεῖν dici potest ad ipsius commilitonum castra? Deinde verba, quae occurrunt vs. 498: γυμνοὺς εἰσιέναι νομίζεται et ibi praesertim idcirco a poeta sunt adhibita, ut agricola festivissime in errorem ducatur (cf. Part. II ad vs. 498), huc si loci interpretandi

causa referre cupis, praeter necessitatem intricatum tibi reddis locum, qui ut vidimus, utque in theatro oportet, facillimus est intellectu.[1]

§ 7. Iam est videndum, quibus argumentis Dissolutus utatur ad *δικαιοσύνην* ipsam refutandam. Divinam iustitiam secundum *τὸν Ἄδικον* non exstare iam animadvertimus ad vs. 904 (h. c. § 1). Vs. 920 contendit iustitiam paupertati esse obnoxiam (*αὐχμεῖς αἰσχρῶς*). Vs. 929, 935 iustitiam obsoleti esse aliquid ac prisci moris, iniustitiam autem novi moris esse censet (vs. 936, 943, 984, 1000), sic populi mores nesciens ac invitus perstringens. Apparet igitur argumenta *contra iustitiam* fere nullius esse pretii. Poeta sine dubio data opera, *iustitiae amore ductus*, *δικαιοσύνην* ipsam fere intactam reliquit. Disputat uterque *Λόγος* praesertim de *σωφροσύνῃ*,[2]

---

1) Etiam secundum Brunckium verba *δέξασθέ μου θοἰμάτιον* eo spectant, quod nudos introire ad Socratem oportebat discipulos. Quam opinionem e nimis seria vs. 498 interpretatione esse ortam, in Parte altera conabimur ostendere. Scholiastes dicit *τὸν Δίκαιον* vestem tradere, ne in currendo impediatur (*ἵνα εὐχερῶς αὐτομολήσῃ πρὸς αὐτούς*). Recte autem observat Burmannus in Vesp. vs. 406 legi: *ἀλλὰ θοἰμάτια λαβόντες ὡς τάχιστα, παιδία, θεῖτε.* Kockius contra, collatis Hor. Carm. 3. 16, 22 et Luc. Hermot. 23, scholion sequitur. Leeuwenius etiam idcirco Iustum non ad spectatores transsilire, sed scholam intrare accipit, quod verbum *δέχεσθαι* „non est *abicientis* quae molesta sunt, sed *donum offerentis.*" Dubitaverim autem, an verbi notio sit amplior. Dicitur enim: *δέχεσθαι κόλπῳ* (Il. VI, 483), *δ. νοστήσαντα ἐν μεγάροισιν* (Il. XVIII, 331), *δ. κῆρα*, i. e. *tolerare*, pati (Il. XVIII, 155); *ἐπιόντα δουρὶ δεδέξομαι* (Il. V, 238), *δ. πολεμίους*, i. e. resistere; *τὸν δ' Αἴας οὔτασκε, δεδεγμένος ἔγχεϊ μακρῷ* (Il. XV, 745); *βίας ὑποδέγμενος ἀνδρῶν* (Od. XIII, 310; XVI, 189) *δέχεσθαί τινί τι* (levare aliquem aliqua re): *ὡς ἄρα φωνήσας Ϝοι ἐδέξατο χάλκεον ἔγχος* (Odyss. XV, 282). Qua re non video, cur verba *δέξασθέ μου θοἰμάτιον*, ad spectatores dicta, non possint significare: „en pallium meum antiquum ac lugubre, quod iam taedium movet, exutum depositumque, vobisque, si placet, devotum."

2) Agit *ὁ Δίκαιος* de iustitia vs. 900, 903, 962;

quare rectius ὁ Δίκαιος nominaretur ὁ Σώφρων, ὁ Ἄδικος contra ὁ Βδελυρός, ὁ Ἀναιδής vel ὁ Καταπύγων (ut in Daetalensibus, cf. Nub. vs. 529).

Argumenta autem contra temperantiam tanto studio atque amore proferuntur, ut concedendum sit, comicum poetam, qui talia histrionem aliquem in pulpito faciat dicentem nec satis refutandum ab alio curet, neque ἀσκητήν (ecclesiasticorum scriptorum sensu) neque morum censorem voluisse haberi, saltem non magis quam e. gr. Aristippum et Socratem ipsum.[1]) Atqui debemusne τοὺς Μαραθωνομάχους, quos ὁ Δίκαιος educavit (cf. vs. 986) nobis fingere ἀσκητάς et *barones* et *blennos bardosque?* Nil stultius fuerit. Poeta igitur σκεπτικῶς utriusque vitae rationis extrema inter sese opposuit comicorum effectuum gratia. Neque poetam, neque

---

de σωφροσύνῃ vs. 962, 1071,
et singillatim de virtute (ἤθεσι χρηστοῖς) 959.
de modestia 963 sqq.
de castitate 1009 sqq, 1060.
de duritia virili 965, 987, 1002, 1046.
de dialecticae et rhetoricae artis abstinentia (ἐν ἀγορᾷ) 991, 1003, 1055, (in iudiciis) 1004.

ὁ Ἄδικος Λόγος non credit esse:
iustitiam divinam 902, 904 sqq.:
contemnit: τὴν σωφροσύνην 1071 sqq, 990, 1015;
defendit: 1°. eloquentiam (ἐν ἀγορᾷ 1056, in iudiciis 1076 sq.);
2°. vitam naturae convenientem 1078;
3°. balnea calida 1044 sqq.

Disputatio igitur utriusque Λόγου agit de *optima ratione vivendi deque sapientissima educationis methodo*, quod inprimis apparet ex vss. 935 sqq. et 955 sqq., cf. vs. 957 Chori verba: ἧς (sc. σοφίας) πέρι τοῖς ἐμοῖς φίλοις (i. e. inter philosophos hosce disputantes, amicos meos!) ἐστὶν ἀγὼν μέγιστος.

1) cf. Aristippi sententia apud Stob. (Flor. 17. 18):
κρατεῖ ἡδονῆς οὐχ ὁ ἀπεχόμενος, ἀλλ' ὁ χρώμενος μέν, μὴ προεκφερόμενος δέ, ὥσπερ καὶ νεὼς καὶ ἵππου οὐχ ὁ μὴ χρώμενος, ἀλλ' ὁ μετάγων ὅποι βούλεται.

caveam ipsam horum extremorum alterutri favere, facile intellegitur. Qua re Teuffelio assentiri non possum, poetam „antiquae simplicitatis amatorem morumque integritatis" vocanti.

§ 8. Idcirco operae pretium duximus accurate inquirere in *τοῖν λόγοιν* certamen, quia cui non perspicuum sit, quomodo cavea eo sit affecta, is totius Nubium fabulae consilium intellegere non potest. In hoc certamine praesertim populus ipse, ut identidem observavimus, perstringitur: „Ecce tuorum studiorum imago," sic poetam quasi caveam alloqui audimus. „Omnes prava cupitis, artemque dialecticam ac rhetoricam vestris pessimis consiliis favere censetis."

Populum perstringi cùm apparet ex ultima certaminis parte, tùm ex sequentibus dictis:

vs. 892: *πολὺ γὰρ μᾶλλόν σ' ἐν τοῖς πολλοῖσι λέγων ἀπολῶ,* quae verba ostendunt Improbum in spectatorum favore collocare fiduciam suam (cf. h. c. § 1).

vs. 897: *ταῦτα γὰρ ἀνθεῖ διὰ τουτουσὶ*
τοὺς ἀνοήτους. 1)

De Socratis opinione legimus (Xen. Mem. IV. 5. 9): (ὥσπερ) ἡ μὲν ἀκρασία οὐκ ἐῶσα καρτερεῖν οὔτε δίψαν οὔτε ἀφροδισίων ἐπιθυμίαν. . . κωλύει τοῖς ἀναγκαιοτάτοις τε καὶ συνεχεστάτοις ἀξιολόγως ἥδεσθαι· ἡ δ' ἐγκράτεια μόνη ποιοῦσα καρτερεῖν τὰ εἰρημένα μόνη καὶ ἥδεσθαι ποιεῖ ἀξίως μνήμης ἐπὶ τοῖς εἰρημένοις.

cf. Platon. Symposion 176 C, 214 A, 220 A. Rectissime igitur Alfred Weber, hist. de la philos. Europ. p. 61: „Socrate n'est rien moins qu'un ascète" etc.

De Aristophanis ipsius ratione vivendi cf. Plat. Symp. 176 B.

1) Sunt, qui putent Socraticos hic significari. At qui potuerit ipse Λόγος Δίκαιος, qui inter Socratis discipulos est habendus, tali contumelia afficere ipsius scholam. Leeuwenius eiusdem est sententiae, sc. spectatores indicari; cf. Ran. 952 sqq. Est animadvertendum initio certaminis τὸν Δίκαιον spectatores vocare ἀνοήτους, postea autem sensim eorum favorem captare (vide supra C. II § 6).

vs. 898: Iniusto *sapientes* videntur spectatores illi stulti.
vs. 928: *ὤμοι μανίας... τῆς σῆς πόλεως θ',*
ἥτις σε (sc. *τὸν ἄδικον*) *τρέφει.*

Praeterea *τὸν Ἄδικον Λόγον* quasi populi favore confisum insolenter se gerere fecit poeta, ipsius populi nimirum perstringendi causa. Haecce Dissoluti arrogantia inprimis apparet ex vs. 901:

ἀλλ' ἀνατρέψω 'γὼ αὔτ' [1]) *ἀντιλέγων,*

et vss. 1036 sqq.:

καὶ μὴν πάλαι γ' ἐπνιγόμην τὰ σπλάγχνα κἀπεθύμουν
ἅπαντα ταῦτ' ἐναντίαις γνώμαισι συνταράξαι.

Quae verba in memoriam revocant Isiciarii audacissimi per totam Equitum fabulam ridiculum in Cleonem furorem. Ex talibus recognoscis Aristophanem.

---

1) *'γὼ αὔτ'* Hermannus (coll. Eccl. vs. 550) conjecit, Rav. lectione *γ' αὔτ'* ductus. Alii *ταῦτ'*.

CAPUT III.

De variis virorum doctorum de certamine opinionibus.

§ 1. Restat, ut nonnullorum virorum doctorum opiniones de utriusque *Λόγου* certamine conferamus cum iis, quae ex nostra investigatione effici posse nobis videntur.

Leeuwenius — data opera a recentioribus interpretibus capimus initium — „certum ducit" (pag. 144 editionis suae ad vs. 889) „Iniustum oratorem *vultu rettulisse notum aliquem virum;* in mentem autem venit nomen *Protagorae*, qui ipse *Λόγος* per derisionem nuncupabatur, quemadmodum Anaxagoras *Νοῦς* inter aequales audierat." Praeterea ex iis, quae vir cl. annotavit ad vss. 913, 1022, 1065, apparet eum suspicari omnes hosce versus uti et vs. 921—924 dici in eundem istum *"Αδικον* personatum, *vivum* repraesentantem hominem, lippis et tonsoribus notum. Legimus enim ad vs. 1022 „optime intellegeremus (cur Antimachi mentio nunc fiat), si sciremus quemnam virum *ὁ Δίκαιος*, quem *ὁ "Αδικος vultu rettulerit.* Sitne intellegendus Antimachus ille, cuius sordida avaritia a choro notatur Ach. 1150, an alius homo eiusdem nominis, — quod perhibent scholia, — non liquet."

Ad vs. 913 sq. annotatur: „quos versus si satis intellegeremus, responderi posset ad id quod nunc frustra quaeritur: cur Telephi Euripidei vs. 921—924 fiat mentio et saepius ad illam tragoediam alludatur in vicinia; simul

autem sciremus, opinor, *quemnam hominem ὁ ἄδικος Λόγος* repraesentaverit."

Ad vs. 1065: „Ceterum hoc loco et vs. 876 collatis oborta mihi est suspicio Iniustum *vultu Hyperboli praeceptorem* retulisse, quisquis fuit ille sophistarum."

Nostram de utriusque Λόγου certamine opinionem nos impedire quominus hac in re Leeuwenio assentiamur, mox apparebit (§ 10). Hic tantum observare liceat nos nisi fallor nullum habere indicium, quo statuere possimus quatuor illis locis, a v° cl°. collatis, *unum eundemque* respici *philosophum*, qui èt Antimachi èt Hyperboli èt Euripidis fuerit magister.

§ 2. E. W. H. Brentano iam ante 28 annos haecce scripsit: „Bei Beginn der Streitscene antwortet der Logos adikos auf die Frage, wer er sei, einfach nur: der Logos. Nun haftete aber bekanntlich dem *Protagoras* der Spitzname Logos [1]) an, jene Stelle würde daher unter der Voraussetzung, dass Protagoras selber als Logos adikos oder hetton in dem Stücke aufgetreten sei, offenbar *eine viel kräftigere Färbung* erhalten." Esto, sed tunc comica disputantium oppositio quam maxime fuisset philosophis odiosa, offensionumque plena. Aristophanem autem non odio in philosophos esse adductum ut ederet Nubes, sed eum vesanum Atheniensium erga novas doctrinas studium falsasque de philosophia philosophisque opiniones voluisse perstringere, ex eo apparet, quod per totam fabulam non Socraticorum, sed Strepsiadis damno cachinnos movere studet. At hoc demonstrare conabimur in huius libelli Parte altera.

„Sodann ist aber", sic pergit Brentano, „auch hier noch einmal darauf hinzuweisen, wie... uns auch durchaus jeder Anhaltspunkt fehlt, um eine Vorstellung davon zu gewin-

---

1) Aelian. V. H. IV. 20. — Suid. s. v. Πρωταγόρας. — Schol. Plat. Respubl. X. 600 C.

nen, in welcher Weise der Dichter das *Verhältniss und die Stelling der beiden Logoi zu Sokrates habe characterisieren und motivieren wollen.*" (Untersuchungen ü. d. Griechische Drama I (Aristophanes) 1871, p. 76.)[1])

§ 3. Heidhuesius[2]), qui a se impetravit ut *omnes fere omnium* virorum doctorum de duplici Nubium recensione argutias serio placatoque animo, i. e. neque ridens neque iracundus, refutaret ideoque optime de nostra fabula meruit, contendit: „Beers Annahme (S. 116. 128), das der Logos Adikos in der Maske des Chairephon aufgetreten sei, hat etwas Ansprechendes. Der Adikos wird als eine engbrüstige, schmalschulterige, bleichsüchtige Jammergestalt geschildert, ähnlich wie die Sokratiker: τοὺς ἀλαζόνας, τοὺς ὠχριῶντας (102 f.), cet." Quem Chaerephontem Socratis esse ianitorem vel potius discipulum, ianuam aperientem (vs. 133), pro certo habet vir doctus. Sint ὁ Ἄδικος et Chaerephon ambo pallore deformes, tamen concedendum τὸν Ἄδικον nimirum pallere ob dissolutos mores nequitiamque, Chaerephontem contra ut omnes commilitones propter studia vitamque umbraticam (cf. vs. 198):

ἀλλ' οὐχ οἷόν τ' αὐτοῖσι πρὸς τὸν ἀέρα
ἔξω διατρίβειν πολὺν ἄγαν ἐστὶν χρόνον.

§ 4. Theodorus Kockius[3]), qui, ut Brentano multique alii, Hypothesin VI secutus, certamen inter duos oratores a prioribus quae vocantur Nubibus afuisse credit, maximum

---

1) Iam Petersen (Allg. Monatsschrift 1852, p. 117) sic censuit: „Es muss auf den ersten Blick auffallen, dass der ganze zweite Theil, der Kampf der gerechten und ungerechten Rede, *zunächst nur gegen den Protagoras* gerichtet ist"

2) Ueber die Wolken des Aristophanes von Bernh. Heidhues (in programm. Gymnasii, Köln, 1897. No. 449). p. 20 sq.

3) Editionis Nubium tertiae (1876) pag. 32.

huius conjecturae argumentum putat in eo esse situm, quod *Socrates* et *Iniustus orator* tantopere inter sese *discrepent!* Contendit enim haecce: „Durch welche Erklärungsversuche will man die Thatsache beseitigen, dass Strepsiades vom Chor 415 ff. zu einem sparsamen, enthaltsamen, kümmerlichen Leben ermahnt wird, wenn er der Philosophie sich ergeben wolle, dass Phoidippides die Sokratiker als unbeschuhte, der modernen Cultur fremde Menschen verlacht, dass Strepsiades selbst sie bei seiner Rückkehr aus der Grübelbude, nachdem er sie kennen gelernt, als armselige Schlucker schildert, die sich nicht scheeren, salben noch baden; während *der ungerechte Redner ganz im Gegensatz zu diesen Grundsätzen* nicht blos die warmen Bäder gegen den gerechten Redner, *der hier wider Erwarten ganz auf Seiten der Sokratiker steht* (991), leidenschaftlich vertheidigt (1044—1054), sondern den Jüngling auch ermuntert (1071—1076) sich unbesorgt allen den „noblen Passionen" hinzugeben, welche *im stärksten Widerstreit* gegen das im ersten Theil der Komödie beschriebene Leben eines Chärephon und Sokrates stehen. Dass solche *Unzuträglichkeiten* der Dichter. . . nicht gemerkt oder nicht vermieden haben sollte, ist unglaublich."

Laetus lubens haec omnia *αὐτολεξεί* descripsi. Omnes enim quas dicit Kockius contradictiones quibusque gravatur nobis sunt argumento: *τὸν Ἄδικον Λόγον* **non** repraesentare Socratem, neque alium philosophum. Poetam *Socrati* philosophiaeque etiam hac in re *parcere* perspicuum est neque — ut viri docti accipere semper mirum in modum amant probareque sunt conati — philosophum probum et fortasse amicum quam contumeliosissime in fabula sua voluisse vexare. Immo vero perstringit poeta, ut postea demonstrabimus, eos, qui ad prava sua consilia persequenda philosophorum altercationibus disputandique ratione abutuntur.

Quas igitur contradictiones Kockius vidit, eae evanescunt tamquam nives prae solis radiis, ut nihil obstet, quominus quoque hac de re securi pro certo habeamus, *nostrum certamen aptissime cohaerere cum totius fabulae consilio.* Certamen nostrum nihil aliud est nisi disputatio de optima vivendi ratione, non ut cotidie in *φροντιστηρίῳ* habebatur, sed comico more inepte et stulte a poeta spectatoribus oblata. Vs. 110 sqq. luculenter indicant duos disputantes *εἶναι παρὰ τοῖς φιλοσόφοις.* (Vide infra § 10). Quo consilio specimen detur altercationis, disertis verbis nos docent versus 937 sq.: *ὅπως ἂν ἀκούσας... φοιτᾷ* (sc. novicius).

§ 5. S. A. Naberus[1]) – opinatus „rectractatam fabulam, quae numquam scenae commissa sit, nobis superesse, nec potuisse adeo *imperfectum opus* histrionibus tradi ut agerent, cum suturae ubique perspicue appareant" [2]) – conjecit *tertiam* fabulam *lectorum in gratiam*[3]) ex prioribus et posterioribus Nubibus a quodam esse contaminatam *brevi post Aristophanis mortem.* [4]) Quae tertia fabula „tandem sola

---

1) cf. Mnemosyne 1883, pag. 306, 308.

2) Convenit hac in re viri clarissimi iudicium cum opinionibus Brentanonis (Unters. ü. d. Griech. Drama 1871, I pag. 92), F. Buecheleri (Jahrb. f. Philol. 83 p. 683 sq.), Th. Kockii (praef. Nub. ed. § 49).

3) Lectoribus destinatam esse editionem quae supersit indicant quoque Reisig (ed. I praef. p. IV), Ranke (de vita Ar. p. CCXCI), Beer (Ueber die Zahl der Schauspieler bei Arist. p. 127 sqq.), G. Hermann (in huius disput. recensione p. 76), Göttling (Ueber d. Redact. der Wolken d. A., Berichte der Sächs. Ges. d. W. 1856 p. 19), Ritter (Philol. 1876 p. 458) et postremum Van Leeuwen (Nub. edit. proleg. p. VII) et Heidhues (p. 6).

4) Brentano Byzantinis temporibus ex duabus fabulis tertiam a quodam esse conflatam censuit, quem vocat: „ein Nichtswürdiger, welcher mit *kalter Teufelsfaust* jene unsterblichen Kunstwerke des griechischen Dichters zertrümmerte, um Material für sein *elendes Machwerk* zu gewinnen. (!)"

expetebatur" — refero ipsius viri cl. verba — „sola legebatur, sola denique salva ad nos pervenit *propter eximiam disputationem* inter τὸν δίκαιον et τὸν ἄδικον λόγον, quam in prioribus Nubibus lectores aegre desiderabant."

Deinde suspicatur v. cl. — Brentanoni [1]) assentiens — in Platonis Apologia verba: τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιῶν (pp. 18 B, 19 B, 23 C) ter perperam interpolata esse, quia Platoni Socratisque iudicibus notae tantum fuerint Nubes *priores*, oratorum certamine [2]) carentes. „Quomodo enim" — rogat Naberus — „poterant meminisse Nubium *posteriorum*, quae multis annis ante *semel* actae erant?" (Mnem. 1883 p. 310).

Ecce varia iudicia et quae multum inter se distent. Una in re tamen plerique viri docti — Heidhuesius Leeuweniusque excipiuntur — consentiunt certamen τῶν Λόγων afuisse a prioribus quas dicunt Nubibus.

Optime autem quadrare certamen nostrum cum totius fabulae consilio et quasi *cardinis instar* esse habendum, [3]) iam satis, uti spero, apparuit. Quare insiticios accipere omnes illos de ἥττονι λόγῳ locos (cf. nota 1) opus non erit.

§ 6. Rectissime nobis iudicasse videtur A. Böhringer, [4])

---

[1]) cf. Brentano l.l. pag. 82 sqq. Praeterea Brentano locos apud Diogenem (II. 18), Quintilianum (Instit. orat. II. 16), Aelianum (V. H. II 13), in quibus respicitur ad illud in Socratem convicium (docere eum, quomodo peiorem causam meliorem faciat) insiticios *omnes* esse censet. (!)

[2]) cf. quae hac de re rectissime observat v. cl. Van Leeuwen, oratores ambos non postmodo additos esse persuasum habens (Nub. edit. praef. VIII, nota 2).

[3]) cf. Leeuwenii verba: „*nobile* illud utriusque λόγου certamen, cui nostrae fabulae *pondus totum* fere inest." (Nub. ed. praef. VIII, nota 2).

[4]) Primus et hucusque nisi fallor ultimus vir doctus viam ingressus est demonstrandi, non unice in Socratem suosque Nubium fabulam esse scriptam, sed praesertim in Atheniensium eruditionis speciosae levisque vanum studium, quae facile in fraudem mali-

qui negat *τὸν Ἄδικον Λόγον* significare voluisse Socratem nec magis artem Sophisticam in universum: „Vielmehr liegt die komische Pointe der Scene darin, dass der gerechte Redner sich für besiegt erklärt, da er zugeben muss, dass er mit seiner Gesinnung allein stehe, dagegen den vom *λόγος ἄδικος* vertretenen Grundsätzen die überwiegende Mehrheit des Publikums thatsächlich huldige. So wird also auch durch die unbefangene Würdigung der Streitscene unsere Ansicht bestätigt, dass es *vor allem die Athener sind*, gegen die der Spott der Komödie gerichtet ist. (Ueber die Wolken des Ar. *Karlsruhe* 1863, pag. 23). Cf. quae in eandem sententiam disputabimus in disputationis nostrae Parte II.

---

tiamque possit converti; ut ipsius utar verbis: „*dass die Komödie in erster Reihe nicht gegen die Philosophie und die Sophistik, sondern gegen das unwahre Streben der Athener nach einer äusserlichen, oberflächlichen und leicht zum Missbrauch führenden Aufklärung gerichtet ist.*"

In parvulo autem Böhringeri libello desidero argumenta, satis ad persuadendum accommodata. Quae Kockius objecit (p. 11 praef. Nub. ed.), minime satisfaciunt. Ipse Böhringer enim concedit poetam suo consilio aliud propositum optime adiungere potuisse, sc. „dem Sokrates selbst einen deutlichen Wink zu geben" etc (p. 18). „Da die Verkehrtheit der Menge" — sic Kockius — „zum grossen Theil *die Schuld ihrer Leiter* und durch Bekämpfung der letzteren, wie der Dichter meinte, zu heilen war, so ist ohne Zweifel, wie in den Rittern Kleon und in den Fröschen Euripides, in den Wolken *Sokrates Hauptgegenstand des Spottes* (quod argumentis est adhuc probandum!), der überdies weder an Schärfe noch an Verantwortlichkeit verlieren würde, wenn er nicht gegen die Hauptperson, sondern gegen einen Deuteragonisten gerichtet gewesen wäre." Quaeri autem oportet, quatenus a philosopho vel virtutis praeceptore rationes sint repetendae, si quid peccarunt discipuli, quatenus philosophi in se recipere debeant errores, vitia, quae ex ipsorum praeceptis, cum perperam intellegantur, forsitan eveniant. Praeterea fieri non potest, ut poeta et spectator tam fuerint occaecati ut philosophis vitio verterent *stultissimas ridiculasque* agricolae bruti de philosophia opiniones exspectationesque.

§ 7. W. S. Teuffel,[1]) quo iudice „valde credibile est etiam illud *certamen* secundis demum Nubibus *esse additum*", inprimis ideo eius sententiae fuisse videtur, quod sumebat, Aristophanem per *τὸν Ἄδικον Λόγον* Socratem voluisse significare. Legimus enim: „Videtur suum de Socrate iudicium ita mutasse ut quem in actis Nubibus exhibuerat ut syllabarum aucupem etc... eum iam doceret esse socium et signiferum illorum qui eversa prisca simplicitate *iuventutem redderent impiam, inverecundam, procacem, libidinosam,* itaque ostenderet suo iure se cum sophistis commiscuisse Socratem."

In editione sua Germanica (praef. excurs. III p. 29, 1867) sic ratiocinatus est vir doctus: „Als Zweck des Zweikampfs der beiden Logoi wird 937 f. angegeben: *ὅπως ἂν ἀκούσας σφῷν Ἀντιλεγόντοιν κρίνας φοιτᾷ* (nämlich Pheidippides). Nachdem daher 1103 ff. der *Λόγος δίκαιος* sich selbst für besiegt erklärt hat und in *das Lager des Gegners* übergegangen ist, so, sollte man meinen, versteht es sich nach jener Zweckbestimmung von selbst dass Pheidippides dem *Λόγος ἄδικος* zufällt, sich in dessen Schule begibt und der Lehrer (Socrates?) mit dem neugewonnenen und *durch heissen Kampf eroberten Schüler triumphierend abzieht.* Um so mehr sind wir überrascht in V. 1105–1112 von allem dem *das Gegentheil* zu finden," e. q. s.

Teuffelii opinioni haec libet opponere.

Primum vss. 1105 et 937 idcirco minime inter se pugnare censeo, quod vs. 937 loquitur *Chorus*, vss. 1105 sqq. contra *Socrates*, qui utpote philosophus circumspectus, suae utilitatis immemor, liberaliter *patri* — non filio — dat optionem. Sic de industria a poeta esse institutum puto, ut èt Socrati parceretur èt *pater in se reciperet omnem*

---

[1]) Praef. ad Nubes 1856 p. 7. cf. Philolog. VII. 2. p 345.

culpam, quippe qui prava sua consilia supplicio expiare deberet. Licet in Parte II acturi simus de erroribus, quibus Strepsiades est obstrictus, iam hic est animadvertendum, poetam, ut rusticum gaudio faciat exsultantem, *τὸν Ἄδικον* fecisse vincentem.

Deinde ex eo ipso, quod earum rerum, quas Teuffelius exspectari a quovis contendit, contraria fieri videmus, apparet — proinde atque ex Kockii scrupulis (cap. III § 3) — poetae consilium *non* fuisse, ut ὁ *Ἄδικος* referret Socratem ipsissimum, nec magis, ut Phidippides crederetur τὸν ἥττω tantum discere λόγον (cf. vs. 1336). Neque vero — quod postea accuratius tractare in animo est — equidem video, cur nobis animo fingere non possimus Phidippidem, cui optio est data, suo sibi iudicio uti, quemadmodum spectatoribus sapientibus in certamine iudicando libera est voluntas liberumque arbitrium (cf. cap. II § 7 in fine). Licet pater nimirum eam libertatem filio concedi vix patiatur, tamen nil mirandum si filius malit a Socrate utrumque doceri λόγον (cf. vss. 1336 et 1467). Credit pater Socratem τῷ *Ἀδίκῳ* tantum filium docendum esse curaturum (cf. vs. 1338 sq.) — quam rustici opinionem ut Socrates confirmet (vs. 1111) totius fabulae consilium flagitat (cf. Part. II c. I § 1) —; verum enim vero spectatores credidisse id revera fieri, minime constat.

Quae porro offendunt Teuffelium, sc. post vs. 1105 nullum amplius sermonem esse de duobus λόγοις, sed unice agi de Socratis institutione, — ea nimirum ostendunt Phidippidi specimen tantum disputationis a Socrate esse oblatum.

§ 8. De industria Godofredi Hermanni iudicium fere ultimum referimus, ut magis appareat, quantopere posteriores sensim, — nimirum duplicis recensionis investigandae causa, — a sana ratione aberraverint et propter nimiam

huiusce investigationis diligentiam totius fabulae consilium neglexerint.

„*Praecipuum et in quo summa totius fabulae contineretur* -- sic Hermannus [1] — *inventum illud* est, quo *duos oratores* in concertationem committi videmus, alterum antiquae disciplinae defensorem, alterum, qui novitios mores coniunctaque cum iis flagitia commendaret. Et est illa fabulae pars profecto eminentissima, maxime propter *gravissimum* illum iusti oratoris sermonem, quo vix quidquam fingi praeclarius potuit... Sed hunc (Socratem) etsi inania atque inepta docentem fecit (sc. poeta), tamen, credo quod neque *ipsum malum esse*, *nec turpia suadere adolescentibus* sciret, non finxit ipsum istos mores commendantem,... sed *dedit hoc negotium uni illorum oratorum*, quos apud eum esse dixit, quorum alter iusta atque honesta, alter iniusta ac turpia defenderet."

Ad vs. 1105 rectissime haec annotavit: „*Non apud Socraticos perfugium quaerit* iustus orator, quippe a quibus exierat, neque hi sunt *κινούμενοι,* sed *spectatores.* Nam ubi omnia plena videt mollium et effeminatorum hominum, perniciem sibi metuens, ni horum partibus accedat, simulat se vestem iis transmissurum esse, quo expeditior ipse ad eorum gregem perfugere possit. Sic demum hic locus *dignus est Aristophanis petulantia* et *acerbitate.*" (Vide quae observavimus c. II § 6, p. 53 sq. de verbo δέξασθε.)

§ 9. Postremo est animadvertendum iam Esserum, [2]) optimo iure ut mihi videtur, negavisse praeter parabaseos partem vs. 514—558 (518—562) quidquam a poeta esse novatum. Leeuwenius eiusdem est sententiae (cf. eius edit. ad vs. 518 annotatio uti et Prolegomena).

---

[1]) Praef. ad Nubes 1830, pag. XLI.

[2]) De pr. et alt. quae fertur Nub. editione, Bonnae 1823, p. 8.

§ 10. Mirari licet viros doctos, Godofredo Hermanno et Böhringero exceptis, quasi inopes consilii, quia nodum in scirpo non inveniant, quaestionum et scrupulorum seriem sibi proponere malle, quam accipere, quod in promptu esse dixeris, nodum in scirpo non esse ambosque ῥήτορας διαλεκτικούς ex agricolae saltem opinione (cf. vs. 112 sqq.) ἐν φροντιστηρίῳ versari. Sic vir cl. Van Leeuwen — ut recentissimi tantum editoris dubitationes referam — haec scribit (pag. 144 Nub. ed. ad vs. 889): „Fatendum est comicum perfunctorie nimis hoc loco esse versatum, de probabilitate securum; *frustra enim quaesieris quid in Socraticorum meditaculo egerit Λόγος δίκαιος, et ne ἄδικος quidem quomodo inde possit nunc arcessi satis apparet.* Alia enim res est cum rusticus pro sua stultitia perhibet εἶναι παρὰ τοῖς φιλοσόφοις duos illos λόγους, alia cum revera ambo e philosophorum domo in medium prodeunt. Vivuntne illic discipulorum gregi intermixti? *At hoc absurdum!* Et qui fit ut mox ne nosse quidem se videantur invicem? Qui potest Iustus ille in fine altercationis castra Socraticorum petere transfuga, si dudum apud eos habitabat? Ad huiuscemodi quaestiones ipse poeta respondere non potuisset, opinor, quapropter praestat eas non urgere."

Concedo rusticum sine dubio fando tantum audivisse de duobus λόγοις, sed pro certo habeo eum audivisse eos ambos esse apud philosophos — hoc enim identidem apparet —; quid sit διαλέγεσθαι nescit neque moratur brutus, τὸν ἥττω autem λόγον, quem audivit omnia posse, ad usum suum transferre quam maxime cupit. Porro nonne comicum excitat effectum τὸν Δίκαιον (vs. 893) commilitonem, *quem optime novit*, rogare: τίς εἶ;? Eam adhibendo rogationem poeta simul efficit, ut spectatores doceantur, uter histrionum repraesentet τὸν ἥττω, uter τὸν κρείττω; eos esse τὼ Λόγω iam Socrates (vs. 886) dixerat.

Quod autem attinet ad rei summam, quid aliud duorum disputantium oppositio symbolice potuerit repraesentare nisi Socraticam (vel si mavis Sophisticam) *τέχνην διαλεκτικήν* (cf. Plat. Soph. 253 D, E.; Phaedr. 276 E)? Scimus apud Aristotelem artem dialecticam scientiae et doctrinae pervestigationi in universum inservire.[1]) Socrates autem semper reverti solebat ad eiusdem argumenti altercationes: semper Socratici *διαλεγόμενοι* solebant investigare quid sit iustitia, quid iniustitia, quid virtus, quorsum abeat *ἡ ἀκράτεια*, quid valeat *ἡ ἐγκράτεια*. In memoriam tantum sunt revocanda, quae legimus apud Xenophontem (Mem. IV. c. 4 § 5, 6), ubi Socratem *de iustitia* locuturum Hippias *ὥσπερ ἐπισκώπτων αὐτόν* interpellat: *ἔτι γὰρ σύ, ἔφη, ὦ Σώκρατες, ἐκεῖνα τὰ αὐτὰ λέγεις, ἃ ἐγὼ πάλαι ποτέ σου ἤκουσα; καὶ ὁ Σωκράτης· ὃ δέ γε τούτου δεινότερον, ἔφη, ὦ Ἱππία, οὐ μόνον ἀεὶ τὰ αὐτὰ λέγω, ἀλλὰ καὶ περὶ τῶν αὐτῶν.* Xen. Mem. IV, 6, 1 legimus: *διαλεκτικωτέρους ἐποίει τοὺς συνόντας.* De *ἐγκρατείᾳ* et *ἀκρατείᾳ* sermo est Xen. Mem. IV, 5. De talibus semper ubique inter Socraticos agebatur; quid mirum poetam rusticum fingere credentem: *εἶναι παρὰ τοῖς φιλοσόφοις* duos illos disputantes, eosque quasi vitam degere in *τῷ φροντιστηρίῳ*? Estne opus hanc nostram opinionem, sc. poetam *συμβολικῶς* dialecticae artis imaginem per duos illos oratores repraesentavisse, probare argumentis? Licet lectoris patientiam nimis tentare verear multaque eius cogitationi velim relinquere, tamen quae nobis in promptu esse semper sunt visa conabimur probare. Si facimus unum tantum *Λόγον* ex poetae consilio inter Socraticos

---

1) Cf. inter alios Schopenhauer, die Welt als Wille u. Vorstellung. Vol. II p. 101: „Unter Dialektik verstehe ich, in Uebereinstimmung mit Aristoteles (Metaph. III. 2 u. Analyt. post. I, 11) die Kunst des auf gemeinsame Erforschung der Wahrheit, namentlich der philosophischen, gerichteten Gespräches."

versari, eum accipiendum esse τὸν Ἄδικον, nemo nostrorum adversariorum contradicet. At tunc Socrates eiusque συνόντες vel Sophistae veluti Protagoras habendi sunt iniusti, dissoluti, impudici κατ' ἐξοχήν, iniustitiae tantum et pravitatis cultores, – quae interpretatio minime quadrat cum philosophorum proborum imagine (vs. 415 sqq.) nec magis cum Socratis personati indole. Si neutrum Λόγον apud Socratem esse putamus, nullo vinculo certamen nostrum cohaerebit cum ceteris neque Socrates ipse dicere potuerat (vs. 886): αὐτὸς μαθήσεται (sc. ἐκείνω τὼ Λόγω, vs. 882.) παρ' αὐτοῖν τοῖν Λόγοιν, nec magis Strepsiades: esse παρ' αὐτοῖς duos Λόγους. Restat ut accipiamus ambos Logos *esse apud Socraticos.*

Opinio autem nostra duos oratores repraesentare διαλεκτικήν in universum altercationem, neque Μαραθωνομάχον aliquem (τὸν Δίκαιον) et Socratem vel Protagoram, quasi vivum spirantemque Ἄδικον, id eo confirmari videtur, quod quae a disputantibus inter amicos aut serio aut animi causa defenduntur vel refutantur (cf. cap. II, § 5), coram populo si proponis, in errorem ducere possunt homines de plebe, quippe qui propensi sint unumquodque dictum, defensionis vel refutationis causa prolatum, habere pro vera intimaque disputantis persuasione idecque non ad res ipsas sed ad personas attendere. Si relegis τοῦ Ἀδίκου verba inde a vs. 1060 tibique fingis haec serio dici ab histrione, qui *vultu refert* aut Socratem aut Protagoram aut alium philosophum, talem virum formidinis instar et dignum, qui lapidibus obruatur, haberi èt ab Aristophane ipso èt a spectatoribus bene moratis necesse esse dixeris; – quod absurdum. Deinde si ponimus τὸν Ἄδικον vultu rettulisse Socratem, oriuntur contradictiones illae, quibus Kockius (Part. I, c. III, § 4) et Teuffelius (P. I, c. III, § 7) tantopere offenduntur.

Video in eandem fere sententiam BERGLERUM (ad vs. 886) utriusque *Λόγου* certamen sibi finxisse: „Hic iam per prosopopoeiam introducuntur duo *Λόγοι*... Repraesentant *naturam Rhetoricae*, quae in utramque partem de eadem re disserere docet.“ Affert Berglerus locum apud Aristotelem (Rhet. I, c. I, § 12) ubi agitur de utilitate Rhetoricae: *ἔτι δὲ τἀναντία δεῖ δύνασθαι πείθειν· καθάπερ καὶ ἐν τοῖς συλλογισμοῖς· οὐχ ὅπως ἀμφότερα πράττωμεν (οὐ γὰρ δεῖ τὰ φαῦλα πείθειν), ἀλλ' ἵνα μήτε λανθάνῃ πῶς ἔχει, καὶ ὅπως, ἄλλου χρωμένου τοῖς λόγοις αὐτοῖς μὴ δικαίως, αὐτοὶ λύειν ἔχωμεν.*

Poeta idcirco comicam adhibuit disputationem, inque ea *τὸν Ἄδικον* fecit victorem ut magis etiam Strepsiades in erroribus suis confirmaretur, quod in huius disputationis Parte II ostendemus.

ALTERA PARS.

Quaenam intercedat ratio inter rustici ac philosophi (Chori, filii) partes.

CAPUT I.

De totius fabulae proposito.

§ 1. Iam vidimus (Part. I, c. II, § 4 p. 47) totius nostrae fabulae fundamentum ita iocose a poeta esse fictum ut nulli ille spectatorum imponeret. Quo fit ut rustici consilium, vs. 116 sqq. disertis verbis expressum, statim propter inventi stultitiam risum moveat, eos qui spectant fabulam quasi in mundum transferens commenticium. Rusticum enim falli vident; ipsi non falluntur; et probe, opinor, noverunt philosophum eumque Socratem nostrum, virum probum, *non serio* cum Strepsiade homine stolido sermocinari, sed, ut Socrati erat mos, *ironice.* Etenim supervacaneum est dicere, nullum virum doctum vel sapientem, nedum Socratem, revera polliceri potuisse, — quamquam stultus quilibet rusticus tali promisso fidem fortasse habebat — fore ut quis liber esset *τόκων χρηστῶν τε δυσκολωτάτων* (vs. 240), dummodo sciret *τὸν ἕτερον τοῖν λόγοιν, τὸν μηδὲν ἀποδιδόντα* (vs. 244 sq.). Sed ut propositum suum servaret poeta, ut perspicua per totam fabulam et immutata maneret oppositio illa stolidum inter et philosophum, id sedulo cavit, ut quam diutissime agricolam errore

gratissimo relinqueret obstrictum, i. e. ut ne a philosopho ei ullus error excuteretur. Cum igitur iam initio fabulae Strepsiadem videamus morbo suo laborare, qui morbus procedente fabula sensim ingravescit, – fatuis enim philosophia perperam intellecta veneni est instar, – vehementer errabimus, si Socratem pro huius morbi habebimus auctore.

Fabula nostra exstare non posset, si statim initio opinione falsa levaretur agricola. Habebis èt in tragoedia èt in comoedia quam maximum adiumentum, quo moveas summam spectatorum attentionem, si aliquem personatum ostendes vanae de se vel de aliqua re opinioni tenaci aliquamdiu obnoxium. Tum enim suspenso animo secum reputabunt spectatores quid sperandum, quid timendum sit de homine opinione falsa vel errore dulcissimo occaecato, donec post τὴν quae dicitur καταστροφὴν ei oculos esse apertos perspectum habeant. Data igitur opera poeta noster curat, ne ante finem fabulae rusticus quid rei sit intellegat et ne tum quidem — id quod cum hominis stoliditate optime convenit – nisi sensim paulatimque. Quae enim dicit filius (vs. 1331) κἀποφανῶ γε νὴ Δία, ὡς ἐν δίκῃ σ' ἔτυπτον, (1336) ἑλοῦ δ' ὁπότερον τοῖν λόγοιν βούλει λέγειν, spectatores optime intellegunt – merito enim dare poenas patrem, non recte autem *filium*, omni pietate neglecta, eas sumere sentiunt, quare rogantem poeta facit filium ὁπότερον! [1]) —, stultus contra atque stolidus noster nondum intellegit. Vs. 1406 iam nil moratur noster τὸν ἥττω λόγον, cuius desiderio antea tantopere flagrabat. [2]) Deinde vs. 1437 sqq. ei videtur filius λέγειν δίκαια, melioraque doctus confitetur rusticus:

κλάειν γὰρ ἡμᾶς εἰκός ἐστ', ἢν μὴ δίκαια δρῶμεν.

---

1) Accuratius hac de re sumus acturi in fine huius disputationis.
2) Vs. 1406 sq. ἵππευε τοίνυν νὴ Δί', ὡς ἔμοιγε κρεῖττόν ἐστιν
ἵππων τρέφειν τέθριππον ἢ τυπτόμενον ἐπιτριβῆναι.

Ad desperationem adductus exclamat pater:

ἀπὸ γὰρ ὀλοῦμαι (1441),

sed, ut fit, nondum sibi erroris conscius culpam in Chorum confert (vs. 1452):

ταυτὶ δι' ὑμᾶς, ὦ Νεφέλαι, πέπονθ' ἐγώ.

Postremum post Chori verba (vs. 1454 sq.):

αὐτὸς μὲν οὖν σαυτῷ σὺ τούτων αἴτιος,
στρέψας σεαυτὸν εἰς πονηρὰ πράγματα,

quasi resipiscere incipit (vs. 1463):

οὐ γάρ μ' ἐχρῆν τὰ χρήμαθ' ἁδανεισάμην
ἀποστερεῖν.

Sentit autem se a Socrate non recte tam diu ludibrio esse habitum, quare *frustatus ac deceptus*, *ulciscendae iniuriae causa* τὸ φροντιστήριον incendio delere instituit. Spectatores, quos non fugerit — pravas rustici opiniones Socratisque simulationes cum cernunt — tam Socratem quam Chorum data opera (vide vs. 1458 sqq.) id egisse, ut rusticus usu et experientia cognosceret ingratos consilii stulti eventus, rustici ultionem minime naturae humanae contrariam censebunt: Socrates enim ipse eam provocarat, quippe qui non statim rusticulum docuisset consilium eius esse stultissimum nedum pravissimum. Cavea igitur, neque misericordia erga Socratem neque odio in Strepsiadem permota, hilari animo cachinnis et plausibus indulget poetaeque dat quam desiderat laudem. Omnia enim iocose ficta sentit ideoque prorsus innocua.

§ 2. Lectores hodiernos satis sinceros prorsus aliter de nostra fabula iudicare, iam animadvertimus (cf. Part. I, cap. I, § 3). Id mirum non esse dabis, si tecum reputaveris, totius fabulae summam contextumque inter legendum, praesertim si e verbo interpretamur, facile neglegi. Praeterea eadem re spectator hilaritate, lector autem

indignatione potest affici; hoc enim pendet a ratione, quae iis cum re, quae agitur, intercedit, ab animi condicione diversa, a loco, unde res conspicitur. Causam denique suam negligere dixeris comicum, rerum scaenicarum peritum, si *lectoribus* suum commendat opus (cf. Part. I, c. III § 5, p. 62, adn. 3).

Referre libet v[1]. cl[1]. Leeuwenii de nostra fabula iudicium, quod occurrit in Vesparum editione anni 1893, pag. XXV:

„Poeta Socratem cum prius finxisset astrologum *ridiculum*, de quavis re scibili *absurdissimas* nugas fundentem, sed nemini periculosum, postea cum retractaret fabulam [1]) ex eo fecit iuventutis *perditorem*, fallendi artem praesentibus nummis tradentem, *parentes pugnis caedere*, *nigra pro albis venditare*, *deos denique contemnere* docentem. „E medio tollendus est *impius*" ultima nunc sunt dramatis verba; immo in scena id ipsum agi cernimus, dum casa *scelesti* hominis incenditur a *misero* sene, quem a recto vitae tramite deduxit. Sic finem parum hilarum habet fabula et *in fel* mutatae sunt iucundae comici facetiae."

Apparet ex Nubium editionis proleg. p. III virum cl. adhuc eiusdem fere esse opinionis, sc. nostram fabulam Socratem unice perstringere. Ibi enim legimus: „unum requirebat huiuscemodi nugatorem, cui magnas aliquas in scena partes tribuere posset. Itaque circumspiciebat virum prae ceteris aptum qui iocose traduceretur: ecce menti eius obtulit se imago civis cuiusdam Atheniensis" e. q. s.

Paulo aliter iudicat Allardus Piersonus (pag. 491 libri, qui inscribitur Hellas):

„Het was zijn (sc. poetae) recht als komikus, Sokrates

---

1) De hac quidem re hodie aliter vir clarissimus censet, genuinam, non retractaram, fabulam quam nos habemus iudicans; attamen mansit eius iudicium de Socratis Aristophanei indole, quod supra adduxi.

belachelijk te maken: alle wijsgeeren en hervormers lokken daartoe uit, en niemand onder hen kan dit meer dan Sokrates hebben gedaan. Maar zoo het Aristofanes' plicht was, dezen volksleeraar als bederver der jeugd en verwoester van het huisgezin te brandmerken, was dit toch waarlijk gewichtig genoeg, om opzettelijk gezegd, en niet geïnsinueerd te worden door middel van een *grappig* tooneel, dat een zoon zijn vader laat afranselen in naam der Sokratische wijsbegeerte; een tooneel, waarvan men later altijd beweren kan, dat het zoo kwaad niet was bedoeld."

Licet ex nostra opinione Socratica philosophia ipsa satis intacta intemerataque maneat, tamen facile concedimus ex Strepsiadis nonnullorumque fortasse spectatorum stolidorum sententia in philosophicis studiis multum inesse stultitiae pravitatisque. Attamen èt Strepsiades èt auditores in fabulae fine meliora docentur. Hoc autem loco referre tantum voluimus lectorum severissimorum opiniones, quae id habent peculiare quod, neglectis Strepsiadis partibus oppositionibusque rusticum inter et philosophum, unice spectant rationem quae inter *poetam* et *Socratem* intercedere creditur.

§ 3. Ne nimis a rustico culpari posset Socrates, poeta astute philosophi partes tuendas mandavit Choro Nubium. Hic Chorus magis etiam in errorem ducere Strepsiadem instituit. Vss. 805 sqq. palam profitetur, dum Strepsiades domum intrat ut arcessat filium, se rusticum quasi illaqueasse vanae sapientiae illecebris, suadetque Socrati ut occasione oblata ὅ τι πλεῖστον δύναται utatur, nimirum ut rusticum quam maxime *urgeat:* ἐκπεπληγμένος enim et φανερῶς ἐπηρμένος denuo est Strepsiades, paratusque ἅπαντα δρᾶν, ὅσ' ἂν κελεύῃς. Tantopere erat Chori ope irretitus, qui hanc ob rem admodum sibi placere videtur.

Statim post Strepsiades, spe elatus novaque imbutus religione, bona fide per τὴν Ὁμίχλην iurat.

Maximi sunt momenti ad Chori *veram indolem* cognoscendam vs. 1303 sqq.:

οἷον τὸ πραγμάτων ἐρᾶν φλαύρων· ὁ γὰρ
γέρων ὅδ' ἐπαρθεὶς [1])
ἀποστερῆσαι βούλεται
τὰ χρήμαθ' ἁδανείσατο.

Attendendum est porro ad Chori verba (vs. 1454 sqq.):
αὐτὸς μὲν (sc. Strepsiades) οὖν σαυτῷ σὺ τούτων αἴτιος,
στρέψας σεαυτὸν εἰς πονηρὰ πράγματα,

et ad vs. 1458:

ἡμεῖς ποιοῦμεν ταῦθ' ἑκάστοθ', ὅντιν' ἂν
γνῶμεν πονηρῶν ὄντ' ἐραστὴν πραγμάτων,
ἕως ἂν αὐτὸν ἐμβάλωμεν εἰς κακόν,
ὅπως ἂν εἰδῇ τοὺς θεοὺς δεδοικέναι.

Iam apparet et, singulas in scaenas cum accuratius inquisiverimus, evidentius etiam apparebit, Chorum et Socratem, unum ex Chori προπόλοισι (vs. 436), id egisse, ut fieret Strepsiades ipsius pravi consilii ludibrium.

Quod attinet ad rationem, quae inter Chorum et Strepsiadem intercedit, Kockio [2]) prorsus assentimur:

Da Strepsiades aus eigenem Antriebe sich den Verführern (Socraticis an Nubibus?) ergeben und es gewagt hat, durch gesetzwidriges Begehren die Bande des Rechtes zu lösen, ***so haben ihn die Göttinnen in seinem Wahn bestärkt, um ihn gründlich zu heilen.***" Iam non intellego, quid obstet quominus rationem inter Socratem et Strepsiadem credamus prorsus eiusdem esse generis. Socratem enim Chorus ipse unum ex suis vocat προπόλοισι, cui Strepsiades ultro

---

1) ἐπαρθεὶς Blaydes; codd. ἐρασθεὶς. Cf. ἐπηρμένου vs. 810.
2) Nub. editionis (4) praef. p. 24.

(aus eigenem Antriebe) sese tradidit (cf. cap. II, de Actu I). Deinde — ut bona cum venia in memoriam revocemus — fabula nostra exstare non potest, nisi nobis Socratem fingimus, aeque atque Chorum, Strepsiadis errores de industria confirmantem, ut experientia ipsa fraudulentus noster doceatur. Si obiciendum tibi videtur Socratem *non data opera* sic sibi rem proposuisse, certe concedendum erit, Socratem a poeta multo rustico stultiorem esse habitum, utpote credentem τῷ ἥττονι λόγῳ creditores revera abigi posse (cf. Part. II, c. VI, § 1). Theodorus Kockius contra[1], nullo argumento rem suam probans, contendit Nubes divinas *a Socrate*, quem hucusque benevole adiuverint, *repente* abalienari contemptaeque (a Socraticis[2]) religionis evadere fautrices: „Aber wie auch sonst bei Aristophanes der Chor oft von der eifrigen Betheiligung an den Thorheiten der handelnden Personen plötzlich zu dem Ernst der von dem Dichter vertretenen sittlichen Gesinnung sich erhebt und denen entgegen tritt, die er bis dahin unterstützte: *so sagen sich die Wolken, früher die bereitwilligen Helferinnen des Sokrates, unerwartet von ihm los und erscheinen als Vertreterinnen der verachteten Gottesfurcht*[2]). Hoc verum: in Aristophaneis comoediis saepe Chorus, stultitiae personarum initio fabulae quasi socius, subito mutat sententiam seriumque induit poetae vel spectatoris sapientis ingenium sententiamque atque iis, quibus modo faverat, sese opponit. Talem in nostra fabula erga Strepsiadem se praebet. Verum enim vero nullum habemus indicium, ex quo efficiamus Chorum, cum in fine fabulae bonam suam ostendit indolem, significare velle

---

1) Nub. editionis (4) praef. p. 24.

2) Secundum Naberum (Mnem. 1883 p. 313) *Nubes Socrati propter ineptum studium iratae* orchestram relinquebant (sc. *in prioribus* quae dicuntur Nubibus).

suum ministrum bonae indolis esse expertem. Atqui *tacitus fert* Chorus Strepsiadis in Socratem *ultionem.* Id verum: post ea enim, quae modo laudavimus verba (vs. 1458 sqq.) nil amplius contendit Chorus, si quidem excipimus totius fabulae postremum versum. Minime autem mirandum, Nubes Socrati non opitulari. Deae enim sunt, quae deorum instar saepe nil curare videantur humana. Nec magis est mirandum, Strepsiadem, deabus minime parem se sentientem, a Socrate, utpote mortali, tantum expetere poenas. Porro, si audimus Strepsiadem verba illa dicentem (vs. 1452 sq.): *ταυτὶ δι' ὑμᾶς, ὦ Νεφέλαι, πέπονθ' ἐγώ*, primo obtutu dixeris vesanum nostrum, qui ultro Socratem petiverit eumque Nubium ministrum esse facile crediderit, idcirco Chorum solum accusare, quia Socratem, utpote Nubium administrum, ab omni culpa putet vacuum. Sic saltem aequum censere putaveris spectatorem. Stolidus autem noster pro sua perversa cogitandi ratione Socratem statim post omnium suorum malorum culpam habere videtur, etenim Socraticos instituit ulcisci; sitne immerito, id neque sentit neque curat.

Quo tandem indicio efficiendum sit Chorum se a Socrate abalienare, non video. Dicunt enim Nubes (vs. 1458): *ἡμεῖς ποιοῦμεν ταῦθ' ἑκάστοθ'*, cet. Si rogamus, quo pacto bona sua consilia persequi soleant, nil aliud eas respondere posse putamus nisi: „ut fecimus, per unum alterumve nostrorum administrorum." Num credendum eas, consiliis perfectis, ministros suos detestari? Si id voluisset poeta, Choro tale quid oportuerat tribuere.

Si comparamus Kockii de duabus voluntatibus — Chori èt erga Strepsiadem èt in Socratem volo — opiniones, apparet v. d. parum sibi constare.

Deserit enim Chorus ex Kockii opinione Socratem, *decipit* contra Strepsiadem. At *quo consilio* deserit veterem ami-

cum? Responsum non datur neque a Kockio, neque ab ipso poeta. Quo autem consilio decipitur Strepsiades? Responsum ipsi Kockio in promptu est: ut ei funditus excutiatur falsa illa (sc. de philosophia) opinio. Choro igitur erat erga Strepsiadem firmum propositum, erga Socratem contra, suum ministrum, *temere* mutat sententiam, neque cur faciat ostendit. Luce clarius est ipso Kockio iudice *Strepsiadem primas agere partes*, fabulaeque esse principem: siquidem *consilium propositumque* in agendo Nubium quoque Choro caput rei fuisse assentiris.

Itaque sibi non constare mihi videtur vir cl., qui praef. Nub. ed. pag. 11 (in nota) Böhringeri opinionem conatur refutare, Socratem esse „Hauptgegenstand des Spottes" contendens [1], — hoc tamen loco Choro [2]) firmum in Strepsiadem tantum consilium tribuit.

§ 4. Postquam in universum de oppositione inter Socratem et Strepsiadem vidimus, iam inquirendum est, quo pacto poeta suos ex ea petiverit effectus comicos. Nemo nescit saepissime res personasve inter sese quam maxime contrarias, si aliam iuxta aliam posueris (e. gr. hominem macrum et pinguem), ultro movere comicum effectum, etiamsi utravis res personave, separatim si spectes ab altera, nihil habeat ridiculi. Luculentum praebet exemplum oppositio inter Chori canticum (275—290) et Strepsiadis habitum, mores, animi affectum. Chori enim cantus ac verba omnino sunt seria ac solemnia; poeta id egit, ut cantici elatione atque altitudine spectatores magnifico sublimeque afficerentur, quatenus id in comoedia, cachinnis indulgere cum

---

1) Cf. huius libelli Part. I, c. III, § 6, p. 64 in nota.

2) Qui sibi induit *poetae ingenium sententiamque* ideoque poetae loco est habendus secundum ipsius Kockii verba, quae supra laudavimus.

assueverint, fieri possit. Cur id curaverit poeta, continuo post apparet. Quae enim a Strepsiade dicuntur, quasi uno ictu propellunt elatum atque sublimem illum affectum, a Choro provocatum, moventque humillimos animi sensus. Ecce vis comica: quaerit ubique suas oppositiones, animi motus sublimes per unum verbum humile sordidumve detergere conatur cachinnorum causa. [1]) Num ex talibus iocis apparet, comicum poetam excelsa, sublimia despicere, eum numquam altis divinisque animi motibus indulgere? Minime; divina ipsa saepenumero intacta relinquuntur. Si quid est quod offendat, in eo positum esse dixerim quod ita cum turpibus honesta, cum improbis pia, divinaque cum humanis temere permisceantur. Attamen ipsa rerum natura hac in re comicorum est magistra. Quam facile in vita cotidiana divinus aliquis sensus disturbatur humili quodam affectu, dum res divinae ipsae intemeratae manent.

Ad Socratem quod pertinet, vitio Aristophani possis vertere, quod philosopho probo opposuit rusticissimum, prava de philosophia opinione obstrictum. Debemus autem huic oppositioni magnam facetiarum copiam, quae nos doceant, quo pacto unusquisque philosophus vel sapiens invitus in errores ducere soleat vulgus profanum.

---

1) Ob huiusmodi rerum excelsarum atque profanarum oppositiones comoediae Aristophaneae comparari possunt cum fabulis hodiernis, quae „Operettes" vocantur, omnia iocose sine ulla acerbitate tractantibus.

CAPUT II.

De Actu primo (vs. 1—512).

§ 1. In uniuscuiusque dramatis initio ut cognoscant spectatores personas, quae in fabula primarias sint acturae partes, earumque consilia rationesque, necesse est. Poeta noster id quam festivissime lepidis adhibitis oppositionibus per 132 versus priores est assecutus, qui *prologi* vel *expositionis* instar sunt habendi. Iam ab initio attendendum est ad facetas oppositiones, quae delectationis sunt plenae ideoque continuo movent attentionem. PATER prae animi sollicitudine dormire nequit (vs. 1, 2, 11, 12, 13). SERVI contra, curis soluti, stertunt (vs. 5). Olim servi primo mane ad opus rusticum mittebantur, nunc belli tempore ad multum diei dormiunt, neque dominus eos castigare audet, ne transfugiant ad hostem (vs. 5, 6, 7). FILIUS [1])

---

[1]) Rem scaenicam flagitare dixeris ut èt senem èt filium recubantem nobis fingamus in lectis singulis, in scaena positis. Sic enim quae narrantur a patre simul propriis cernunt oculis spectatores, quod in theatro, quoad eius potest fieri, necesse est. Unum autem vocabulum viros doctos quam maxime prohibere videtur, quominus sic sibi rem proponant. Vocem enim ἔκφερε (vs. 19) cogitatione supplendam esse censent per ἐκ τῆς οἰκίας, qua ex re efficiendum esse arbitratur e. gr. v. cl. Van Leeuwen „sub dio senem versari" (ad vs. 19), „eumque ante suam domum deambulare (ad vs. 1), lunam decrescentem (cf. vs. 17) spectantem." Porro „domum designantem" ubi dormit filius, eum dicere versus 8—10. Deinde „non lodice

totam noctem non expergiscitur, sed equos et currus somniat. Pater contra, aere alieno ob filii uxorisque (vs. 52 sqq.) immoderatam luxuriam oppressus, metu sollicitatur, cum iam videt *ἄγουσαν τὴν σελήνην εἰκάδας*, tristesque Calendas prope adesse.

---

aliqua, (ad vs. 11), quae nulla ei praesto est sub dio deambulanti, sed sua veste (*ἱματίῳ*) se involvere (ut vs. 735, 740 etc.) et *ianuae acclinem decumbere*" (cf. post vs. 11 adscriptionem).

Th. Zielinski (die Gliederung der altattischen Komoedie, 1885 p. 36) rem ita explicat: „Die Handlung spielt zuerst auf der Gasse vor dem Hause des Strepsiades; der Alte befindet sich im Freien, geht bei V. 11 hinein, kommt bei V. 12 wieder zum Vorschein; V. 19 ruft er den Sklaven heraus (*ἔκφερε*), der V. 56 verlegen an der Tür erscheint. Pheidippides befindet sich die ganze Zeit drinnen, kommt erst bei V. 82 heraus und begiebt sich bei V. 125 (*εἴσειμι*) wieder hinein."

Non licet, ut mihi quidem videtur, veram facetamque rei scaenicae dispositionem unius vocis posthabere interpretationi.

Concedendum esse censeo vocem *ἐκφέρειν*, loco unde effertur aliquid non indicato, plerumque significare: *foras* ferre (cf. Equ. 1406, Soph. Philoct. 651), nullam autem causam adesse, cur, si nil est additum, vocem interpretemur per: *e domo* vel *e conclavi* ferre foras. Immo verbum in universum indicare „*promere*, *proferre* e loco, quo asservari solet, e. gr. e scrinio", satis apparere mihi videtur ex Odyss. XXI, vs. 178: *ἐκ δὲ στέατος ἔνεικε μέγαν τροχὸν ἔνδον ἐόντος*, quae verba statim post versum 176: *ἄγρει δή, πῦρ κῆον ἐνὶ μεγάροισι, Μελανθεῦ*, verti *non* posse dixerim per „effer sebum ex ipsa illa domo, in qua ignis tibi est accendendus" (cf. Od. VIII, 439 *ἐξέφερεν θαλάμοιο*, vs. 424 *δεῦρο, γύναι, φέρε χηλόν*). Obici sane potest verbis *ἔνδον ἐόντος*, vs. 178, indicari *τὸ στέαρ* in aedium interiore parte asservari, ex qua sit promendum. Observare autem liceat illa verba *ἔνδον ἐόντος* apud Homerum idem significare atque *παρεόντων* (*χαριζομένη παρεόντων*, Od. I, 140, cf. Od. VII, 166, 176, XV, 77, 94, Il. XIX, 320), i. e. ex iis rebus, quarum copia adhuc est.

Huc accedit, quod Strepsiades non iubet: „*effer* ét lucernam foras ét tabellas", sed: *ἅπτε λύχνον καὶ ἔκφερε τὸ γραμματεῖον*, unde efficiendum dixeris lucernam iam adesse in conclavi vel cubiculo, a parte ad spectatores conversa aperto, in quo dormiunt

In hac expositione oppositio patrem inter et filium, quae caput est rei, accuratius a poeta illustratur. Priorum quas notavimus oppositionum Strepsiadis ipsius verbis spectatores certiores sunt facti; vss. 25, 28, 32 autem revera filium audiunt somniantem, dum patrem vident tabellas inspicientem usurasque computantem. Itaque cavea

---

pater filiusque. In voce igitur ἔκφερε non satis inesse mihi videtur ponderis ut ex ea sola liceat efficere Strepsiadem initio fabulae sub dio versari, filium autem intus dormire.

Ad nostrae scaenae dispositionem quod attinet, omnino non negligendae mihi videntur annotationes, quae in Scholiis παρεπιγραφῶν nomine occurrunt. (De parepigraphis vide Rostium, in programm. Scholae Thomanae „de ratione vocis παρεπιγραφή", Lips. a° 1803 edito, et Ernestum Droysenum, in quaestion. de Arist. re scaenica. Bonnae 1868 p. 28). Ad vs. 3 annotata videmus in Scholiis: συγκεκαλυμμένος καὶ καθεύδων ὑποτίθεται (sc. Strepsiades) ἐξανακαλυψάμενος καὶ ἔξω τὴν κεφαλὴν ποιήσας τοῦ περιβλήματος. Ad vs. 11 leguntur: ἀποστραφεὶς καὶ αὐτὸς πειρᾶται δῆθεν καθεύδειν, ἐγκρύψας τὴν κεφαλὴν τοῖς περιβλήμασι. Nulla causa obstare mihi videtur, quominus ambas hasce parepigraphas putemus optime facetissimeque rem scaenicam indicare.

Ad aliam difficultatem libet hoc loco attendere. Secundum Leeuwenium servus vs. 55 adhuc in scaena adest, postquam (vs. 20) attulit tabulas et lucernam ardentem „quam tenens adstat deinde domino legenti et meditanti"; dum videt restingui lucernam, exclamat ex v^l. cl^i. opinione: ἔλαιον cet., ad postremum (post vs. 59) „cum lucerna et tabellis se proripit." Ad quam opinionem observare velim, non valde festivum mihi videri neque ex rerum scaenicarum usu per totam rustici monologiam servum facere adstantem cum lucerna. Sic enim spectatorum attentionem absque omni necessitate avocaveris a faceta monologia ipsa. Difficultas sane inest in eo, quod lucernam, quae vs. 21 (φέρ' ἴδω, τί ὀφείλω;) iam accensa est, vs. 56 servus (absens?) videt restingui. Ut et haec evanescat difficultas, nil nisi fallor opus est, nisi ut servum in posteriore conclavis parte nobis fingamus initio fabulae in lecto stertentem (οἱ δ' οἰκέται ῥέγκουσιν, vs. 5), deinde ad vs. 18 surgentem (ἅπτε, παῖ, λύχνον), porro recubantem usque ad vs. fere 54, postremo ad vs. 55, cum videt lucernam restingui, dicentem: ἔλαιον ἡμῖν etc.

quem iam *vident*[1]) in lecto cubantem quemque *sciunt* filium esse senis loquentis (vs. 8 ironice ut *χρηστός* designatur *νεανίας*, vs. 14 sqq. vocatur *filius*, luxuriae deditus), nunc alta voce *audit* somniare. Quae pater iam vs. 16 indicavit dicendo *ὀνειροπολεῖ θ' ἵππους, ἐγὼ δ' ἀ π ό λ λ υ μ α ι*, vs. 26 iterum sed nunc maiore cum vi ipsisque spectatoribus testibus pronunciat: *τοῦτ' ἔστι τουτὶ τὸ κακόν, ὅ μ' ἀπολώλεκεν· / ὀνειροπολεῖ γὰρ καὶ καθεύδων* (comicus est *πλεονασμός*) *ἱππικήν.* Qui poeta tali modo elaborare materiam suam instituit, praebet se *κωμῳδοδιδάσκαλον* rerumque scaenicarum peritum.

Non solum in oppositionibus illis huiusce expositionis vis comica est posita, sed etiam in nonnullorum verborum lusu: vs. 23 *κοππατίας*, vs. 28 *δρόμους*, vs. 32 *ἐξαλίσας* (*ἐξήλικας* vs. 33), vs. 12 *δακνόμενος*, vs. 37 *δάκνει.*

Cuiusnam indolis sit filius docentur spectatores a patre, qui, dum filius edormescit, faceto narrat (vs. 41–55, 60–74) matris proprietates, quas filius quasi hereditate acquisivit. Paenitet patrem quod Megaclis illius [2]) neptem uxorem duxit, omnium enim filii vitiorum est causa. Rusticellus igitur – ut est incultorum – se ab omni culpa vacuum esse iam fabulae initio demonstrare conatur. Sic poeta concordare fecit fabulae initium cum eius fine, in qua ridicule deceptionum suarum culpam confert Strepsiades in Socratem.

Denuo maximis in patris narratione usus est poeta oppositionibus ad vim comicam promendam. Patri iucundissima fuerat vita rusticana, *ἄγροικος βίος εὐρωτιῶν, ἀκόρητος, εἰκῇ κείμενος.* Quantum ab ipso distabat urbana, *σεμνή, τρυφῶσα*

---

[1]) Vide annotationes ad vs. 8 (p. 82 sqq.).

[2]) Scholiastae, G. Hermanno, Leeuwenio assentiendum esse arbitror verba *Μεγακλέους* — *τοῦ Μεγακλέους*! — a rustico *εἰρωνευομένῳ* dici censentibus.

illa matrona! Ipse ὄζων τρυγός cet., illa autem μύρου, κρόκου cet. Uxor prodiga erat (λίαν σπαθᾷς), ipse autem...

Difficile sane patri fuisset negotium, palam ipsius parsimoniam frugalitatemque prae se ferre. Idcirco ingeniosissime multoque facetius poeta spectatores exemplo docet rusticum esse parcum atque avarum. Iterum enim in scaenam prodit vel e lecto surgit (cf. nota p. 84) famulus, qui ante vs. 21 lucernam et tabulas attulit, nunc contendens oleum non inesse in lucerna. Tum rusticus (vs. 57):

οἴμοι· τί γάρ μοι τὸν πότην ἧπτες λύχνον;
δεῦρ' ἔλθ', ἵνα κλάῃς.

Roganti servo: διὰ τί δῆτα κλαύσομαι; dicit avarus:

ὅτι τῶν παχειῶν ἐνετίθεις θρυαλλίδων.

Se esse parcum rusticus etiam eo significat, quod filium Φειδωνίδην appellari cupiit ab avi nomine Φείδωνος (vs. 134), quodque (vs. 835 sqq.) laudat τὴν philosophorum φειδωλίαν.

Post parvum illud embolium (vs. 56—59), quod belle rustici narrationem in duas fere aequales dividit partes et τὴν μονοτονίαν quam grammatici vocant avertit [1]), iterum vim comicam cernimus in oppositionibus esse positam.

Iam sciunt spectatores causas Strepsiadis aerumnarum.

§ 2. Invenit Strepsiades ὅλην τὴν νύκτα φροντίζων — sollicitudines (φροντίδες) τοῦ φροντίζειν erant causae, vs. 12, 16 sq., 26, 37, — ὁδοῦ μίαν ἀτραπὸν δαιμονίως ὑπερφυᾶ (vs. 75 sq.), quam si filio persuaserit ut ingrediatur, se salvum fore *pro certo habet.* Sic per vocem σωθήσομαι (vs. 77) iam indicat agricola se esse obstrictum opinione aliqua, quam falsam esse nondum intellegunt spectatores. De industria

---

1) Zielinski (die Gliederung der altatt. Kom. p. 36, nota 2) mirum in modum ad huiusce modi fabulae οἰκονομίαν non attendens annotat: Beiläufig mag bemerkt werden, dass die VV. 56—59 den Zusammenhang stören; der Sinn verlangt, dass wir sie nach V. 20 stellen.

poeta patrem non fécit inventum statim explicantem. Ita enim èt caveae attentionem movet èt faceti colloquii inter filium ac patrem inserendi habet occasionem.

Licet spectatores exspectare possint patrem se filio iratum praebiturum, praeter spem dulcissima patris audiunt verba, ex quibus efficere licet magnopere rustici interesse ut id quod velit assequatur. Porro est animadvertendum, quantopere Strepsiadis erga filium animus in fine huiusce altercationis sit mutatus! Postquam Φειδιππίδιον suum leniter ac submissa voce expergefecit, exponit filiolo propositum suum (vs. 86 sqq.):

ἀλλ' εἴπερ ἐκ τῆς καρδίας μ' ὄντως φιλεῖς,
ὦ παῖ, πιθοῦ μοι.
Phid. τί δὲ [1]) πίθωμαι δῆτά σοι;
Streps. ἔκστρεψον ὡς τάχιστα τοὺς σαυτοῦ τρόπους
καὶ μάνθαν' ἐλθὼν ἃ ἂν ἐγὼ παραινέσω.

„Videsne", rogat deinde pater, „ostiolum illud et domunculam?" — „Video, at quid est pater?"

Respondet Strepsiades:

ψυχῶν σοφῶν τοῦτ' ἐστὶ φροντιστήριον.

Mirandum est sane filium adultum vicinos suos non novisse. Num habemus duplicis recensionis indicium? Cave credas. In theatro multa demus poetae, necesse est, praesertim si, ut hoc loco, rei locique condicio est exponenda, itaque si proprie non dramatis personae sed spectatores sunt docendi. Patri enim roganti: „videsne τῳκίδιον?" si respondisset filius: „scio quid sit, animarum sapientium est φροντιστήριον," tum careremus absurda ideoque comica philosophorum commendatione qua pater utitur. „Hic habitant viri," inquit, „qui alios ad credendum inducunt, coelum

1) πιθοῦ μοι. — τί δὲ. Ita C. F. Hermannus; vulgo: πιθοῦ. — τί οὖν. R.: πιθοῦ μοι. — τί οὖν. V.: πιθοῦμαι. — τί οὖν. Cf. Teuffelii edit. lat. ad vs. 87.

esse *furnum*, nos autem *carbones*. Docent, pecuniam si quis det, quomodo dicendo vincat èt iustam èt iniustam causam."

Nemo non intellegit, ad primum facete dictum quod attinet, ridiculum esse stultum rusticum, qui eo commendare studet sapientes, quod se ipsum et filium et omnes mortales *carbones* putent, in furno habitantes. Dixeris eum hanc ob rem irasci oportere, aut perspicere saltem se tali commendatione filium magis deterrere a philosophis quam incitare, ut eos frequentet. Commendationis igitur stultitia primo loco risum movet. An credis revera philosophos serio docuisse homines esse carbones ideoque eos irrideri a rustico vel a poeta? Immo, est Aristophanes ipse, qui ἐπιλέγειν rusticum facit: *ἡμεῖς δ' ἄνθρακες* (*διὰ τὸ ὑπὸ ἡλίου θερμαίνεσθαι* ut rectissime scholiastes [1]) observat). Estne porro placitum sive inventum illud (caelum vasis esse instar, quod restinguendo igni est destinatum) tam magni momenti a philosophis habitum, ut ferri nequeat comicum poetam ex eo *petere* facete dictum? Petere enim facetiam ex aliqua re nequaquam idem duxeris atque rem eam ipsam irridere. Estne postremo credendum comicum habuisse consilium aut eum operae pretium duxisse tales philosophorum doctrinas ridendo perstringere iisque resistere, utpote societati perniciosis? At hoc absurdum. Optimum mihi videtur iudicium, quod perhibet scholiastes quidam ad vs. 96. Postquam dixit: *ταῦτα δὲ* (sc. caelum esse furnum) *πρότερος Κρατῖνος ἐν Πανόπταις δράματι περὶ Ἵππωνος τοῦ φιλοσόφου κωμῳδῶν αὐτὸν λέγει,* [2])

---

1) Aliter, minus recte m. i. Grothe, de Socrate Aristoph. (Traj. 1843) p. 98: „fortasse translatum a philosophis, qui stellas et sidera sicut carbones modo exstingui, modo rursus accendi putarent." Vox *ἄνθρακες* nimirum festive alludit ad vocabulum: *ἄνθρωποι*.

2) Recte m. i. Leeuwenius (ad vs. 96) confert Metonis verba

sic pergit: *ἀφ' οὗ στοχαζόμενοί τινές φασιν ὅτι μηδεμιᾶς ἔχθρας χάριν Ἀριστοφάνης ἧκεν ἐπὶ τὴν τῶν Νεφελῶν ποίησιν, ὅς γε μήτε ἴδιόν τι μήτε ἁρμόττον, ἀλλὰ μηδὲ πρὸς ἓν ἔγκλημα ἦλθε Σωκράτους. δύο γὰρ κατ' αὐτοῦ ταῦτα προθεὶς ἐγκλήματα, τὸ περὶ τοῦ οὐρανοῦ, ὅτι ἐστὶ πνιγεὺς, καὶ ὡς ἱκανός ἐστι τὸν ἥττω λόγον διδάσκειν καὶ τὸν κρείττονα, τὸ μὲν κοινὸν τῶν φιλοσόφων ἁπάντων ἐπήγαγεν ἔγκλημα, τὸ δὲ οὐδὲ τὸ σύνολον ἐπικοινωνεῖ φιλοσοφίᾳ. οὐ γὰρ τοῦτο ἐπαγγέλλονται οἱ φιλόσοφοι, δεινοὺς ποιήσειν λέγειν· ἴδιον δὲ τὸ τοιοῦτο μᾶλλον ῥητορικῆς.* [1]) *ὡς ἐπ' ἀμφοτέροις τὸν φιλόσοφον καθαρεύειν.*

Quod attinet ad criminationes Socraticos pecuniam accipere et *τὸν ἥττω λόγον διδάσκειν καὶ τὸν κρείττω*, non est obliviscendum, rusticum quae fando audiverat tamquam vera commemorare, poetae autem ipsius opinionem celari. Quae annotat scholiastes, [2]) ea utique sciebant spectatores sapientes. Sitne verisimile hic illic inter spectatores sedisse brutissimum, qui *revera* crederet philosophos *τὸν τυχόντα* docere *τὸν ἄδικον λόγον*, i. e. institutione sua id agere, ut discipulum redderent quam pravissimum improbissimumque, id non curat comicus neque id curare opus ei fuit, quoniam universo theatro id quidem mox perspicuum fore suo iure sperabat quam stolidum rustici consilium fuisset, qui credidisset se creditores fallere posse auxilio *τοῦ ἀδίκου λόγου*. Si forte paululum insit malignitatis erga philosophos in universum, quis hoc poetae hilaritati festivitatique non

---

Av. 1000, locumque apud Pollucem (X. 54): *τὸν πνιγέα ἐπὶ ἵππου* legendum esse censet hoc scholio duce: *τ. πν. ἐπὶ Ἵππωνος.*

1) Est nihilominus concedendum sophistas rhetoricam cum philosophia copulasse. Philostratus (de Vitis Soph., in Prooëmio, ed. Olear. p. 480) *τὴν ἀρχαίαν σοφιστικὴν* vocat *ῥητορικὴν φιλοσοφοῦσαν.*

2) Ad vs. 98: *καὶ τοῦτο ψεῦδος, ... οὐδεὶς γὰρ μισθὸν ἐτέλει Σωκράτει, ἐπεὶ κἀκεῖνος ἔφασκε μηδὲν εἰδέναι.*

dederit; opus enim est sine ira et studio in poetam, absque omni morositate per se ipsas aestimare comicas oppositiones, neque absurda pro seriis habere. Quam parum malignitatis insit in Strepsiadis de philosophia opinione, intelleges, si tibi finges nostra aetate hominem quendam brutissimum, prava cupientem, frequentare in animo habere Academiam aliquam celeberrimam, ut clarissimi viri alicuius de chemia lectionibus intersit, idque eo consilio, ut artem aurum argentumve componendi nummosque adulterandi addiscat. Quid potius fore credis? ut vir doctus sapiensque ob falsam de sua doctrina opinionem ira excandescat an ut ridens audiat bruti consilium? Quod Aristophanes eiusmodi rationem inter Socratem et rusticum sibi finxit, id nobis indicio esse non potest Socratem vel philosophica studia odio ei fuisse. Immo vero et ipsum Aristophanem studiis philosophicis aliquamdiu operam dedisse ex eo apparet, quod iocose testatur Alcibiades (in Symp. 218 B): *πάντες γὰρ* (inter eos, quos alloquitur etiam Aristophanes erat) *κεκοινωνήκατε τῆς φιλοσόφου μανίας τε καὶ βακχείας*.

§ 3. Quemadmodum mirandum erat Phidippidi vicinos esse ignotos, sic satis ridiculum est Strepsiadem non *ἀκριβῶς* scire philosophorum nomina (vs. 100). Facete autem rem sic sibi finxit poeta. Brutus enim pro sua fatuitate solum attendit ad *τὸν ἄδικον λόγον*, non ad philosophorum personas; quinam sint illi *μεριμνοφροντισταί*, hoc nihil ad rem; *καλοί τε κἀγαθοί* utique sunt. Sunt philosophi, id pro certo scit, et quia fando audiverat apud philosophos esse *τὸν ἄδικον* illum *λόγον*, putat eum etiam esse penes vicinos suos.[1])

---

1) Vs. 112 sq.: *εἶναι παρ' αὐτοῖς φασιν ἄμφω τὼ λόγω,*
τὸν κρείττον', ὅστις ἐστί, καὶ τὸν ἥττονα.

Ex agricolae igitur opinione *ambo illi* λόγοι versantur in *τῷ Φροντιστηρίῳ*. Qui autem fit, ut ante certamen initum (vs. 893) sibi invicem videantur ignoti? At nimis sane severa est quaestio.

Sic cadunt Strepsiadis criminationes in omnes philosophos. Praeterea habet aliquid ridiculi rustico ne Socratis quidem nomen ἀκριβῶς esse cognitum.

Quod nesciebat pater, filio iam est notissimum:

αἰβοῖ, πονηροί γ', οἶδα. τοὺς ἀλαζόνας,
τοὺς ὠχριῶντας, τοὺς ἀνυποδήτους λέγεις·
ὧν ὁ κακοδαίμων Σωκράτης καὶ Χαιρεφῶν.

Cum semel instituisset poeta, ut rusticus primum, deinde filius a Socrate doceretur, necesse erat, ut filio tribueret argumenta nonnulla, cur patri obsequi nollet. Per se intellegitur ea argumenta petenda fuisse ex taedio, quod ei afferebat philosophiae studium, philosophorum vita umbratica victusque tenuissimus. Convicia illa: *πονηροί γε, ἀλαζόνες, ὠχριῶντες, ἀνυπόδητοι* in ore scurrae, a Musis aversi, nil habent insoliti. Si talia in fabulis non admittes, adimes poetae facultatem personas ex ipsorum indole ac natura facere loquentes et agentes. Annon inter spectatores desidiosi nonnulli ipsi, ab omni doctrina abhorrentes, tali scurrae assensum laetis clamoribus sint significaturi, rogaverit quispiam. Fieri potest; alius enim alio modo iis rebus, quas audit videtve èt in theatro èt in vita cotidiana afficitur. Si contra facimus totam caveam iuveni fatuo acclamasse, tum certo certius est omnes spectatores iam ante fabulam actam odium erga philosophos suscepisse eosque putasse revera *πονηρούς*.[1]) At tunc non ipse poeta

Ipsa fictionis ridicula absurditate poeta (ut iam vidimus, cf. Part. I, c. III, § 10, p. 68) festive certiores facit auditores, uter *τοῖν λόγοιν* sit ὁ Δίκαιος, uter ὁ Ἄδικος. Licet vestimentis, ut opinor, distinguerentur, tamen opus erat ut accurate nominibus indicaretur, quaenam essent duae illae personae.

1) Id absurdum esse assentieris, si memineris Athenienses artis disputandi ac philosophandi studio quam maxime illis temporibus fuisse deditos. Cf. Stallbaumii de Euthydemo disput. p. 8. Vide Part. I, c. II, § 1, p. 39.

huius odii in philosophos est causa, sed quos iam oderant omnes, conviciis facit corripi — a quonam? ab homine probo honestoque, qui philosophiae studiosos πονηρούς esse argumentis demonstret? Immo a iuvene, propter insitam levitatem non digno qui audiatur. Ex eo ipso igitur, quod poeta philosophis conviciari facit iuvenem, nulla adhuc laude dignum, nihil aliud licet efficere, nisi quod poeta designare voluit scurrae alicuius de philosophis opinionem, ut eam patris rustici, propriam utilitatem curantis, sententiae opponeret. Sic porro rem instituit comicus, ut non solum cognosceretur filii indoles, sed etiam appareret qua de causa recusaret quominus intraret in Scholam. Talibus in omni comoedia opus est ad depingendam personarum indolem, ad agendi rationes notandas, ad comicos movendos effectus.

Filium, philosophis convicantem, silere iubet pater, paululumque accuratius quam vss. 88 et 89 indicat, quid ab eo petat (vs 106 sq.):

ἀλλ' εἴ τι κήδει τῶν πατρῴων ἀλφίτων,
τούτων γενοῦ μοι σχασάμενος τὴν ἱππικήν.

Roganti filio, minime propenso: καὶ τί σοι μαθήσομαι; — profert tandem rusticus disertis verbis, quod iam vs. 75, filio adhuc dormiente, tetigit (vs. 112 sqq.):

εἶναι παρ' αὐτοῖς φασιν ἄμφω τὼ λόγω,
τὸν κρείττον', ὅστις ἐστί, καὶ τὸν ἥττονα.
τούτοιν τὸν ἕτερον τοῖν λόγοιν, τὸν ἥττονα,
νικᾶν λέγοντά φασι τἀδικώτατα.
ἢν οὖν μάθῃς μοι τὸν ἄδικον τοῦτον λόγον,
ἃ νῦν ὀφείλω διὰ σέ, τούτων τῶν χρεῶν
οὐκ ἂν ἀποδοίην οὐδ' ἂν ὀβολὸν οὐδενί.

Ecco rustici consilium èt filio èt spectatoribus simul detectum. Absurdum esse perspiciunt spectantes. Filius se iturum negat, veritus, utpote iuvenis elegantissimus ac

delicatissimus, ne ab Equitibus ob faciei pallorem languoremque rideatur. Postquam pater iratus filium minis est prosecutus, instituit ipse adire *τὸ φροντιστήριον.* Atqui quo pacto *γέρων ὢν κἀπιλήσμων καὶ βραδὺς* *ratiocinationes accuratas subtilesque* (*λόγων ἀκριβῶν σχινδαλάμους*) addiscet? Ex hisce agricolae meditationibus patet eum optime scire ratiocinationibus causam deteriorem debilioremque superiorem posse evadere.

Licet vox *σχινδαλάμους* — cuius proprius sensus est *scindulae, assulae*[1]) — habeat aliquid acerbitatis, si vertas per *subtiles nugas*, tamen est concedendum vocabulum in ore rustici submissi supplicisque minus habere invidiosi quam in legenda fabula fortasse credideris. Minime enim in malam partem, sed honorifice rusticus vocem accipi vult. In eo autem, quod rusticus nescius utitur voce, quam spectatores non tam in honorem dictam accipiunt, sita est vis comica, quae – libenter concedimus — philosophorum quoque damno adhibetur. Ad comoediae tamen Atticae in universum invidiam quod pertinet, rectissime m. i. scripsit G. Hermannus (edit. anni 1830 praefat. XXXIII): „Haec enim fuit poetarum veteris comoediae consuetudo et libertas, ut non modo, quo quisque vellet, studia populi impelleret, unde autem vellet, deduceret, sed etiam ut, quidquid

---

1) *σχινδαλάμους.* Ita Brunckius (ad Ran. 819), quem G. Hermannus alii secuti sunt. *σχινδάλμους* R., *σκινδαλμούς* V. De scriptura cf. Moeris (p. 360): *σχινδαλμὸς ἐν τῷ χ Ἀττικοί, σκινδαλμὸς Ἕλληνες.* Hesych. tertiam formam affert: *σκινδάλαμος.* De significatione vid. schol. ad Nub. vs. 130: *τὰ τῶν καλάμων ξύσματα, τὰ λεπτότατα τῶν ξύλων*, et schol. ad Ran. vs. 819: *κυρίως τὸ περὶ τον φλοιὸν τοῦ καλάμου ξέσμα.* Eiusdem fere notionis sunt *σχῖδος, σχίδαξ, σχίδη*, cf. scidula, scindula, scheda. Festive igitur vox e re rustica petita, rustico tribuitur ad *λεπτολογίας* significandas. Philosophi ideo patri parco placent, quia *σχινδαλάμους* minime negligere videntur.

in quoque ridiculum inveniretur, id *oblectationis* tantum *caussa, sine ulla acerbitatis suspicione* in scena notaret."

§ 4. Postquam aliquantillum haesitavit, instituit noster *κόπτειν τὴν θύραν*. Nimis autem illiberaliter ostium pulsantem, ianitor, unus e discipulis, vehementius increpat. Fieri non potest, quin *ἀμαθὴς* sit, *ὅστις οὑτωσὶ σφόδρα / ἀπεριμερίμνως τὴν θύραν λελάκτικε*. Sic statim inurbanum esse cognoscit discipulus eum, qui *Φείδωνος υἱὸν Στρεψιάδην Κικυννόθεν* se esse dicit. Hic tandem spectatores rustici nominis fiunt certiores. Rustico nimirum superiorem se sentit discipulus dignitate, urbanitate, scientia, qua re — ut fieri solet, si urbanus incidit in vastum hominem — agrestem rudem curiosumque ludibrio habere instituit. Calce ostium feriendo Strepsiades excussit discipulo cogitationem aliquam. Veniam petit rusticus rogatque *τὸ πρᾶγμα τοὐξημβλωμένον*.[1]) Sed ille iocose arcana esse talia contendit eoque rusticellum reddit curiosissimum. Quae deinde narrat discipulus loquax, mera habenda sunt ipsius inventa, quibus rusticum stupefactum attonitumque reddere studet. Ipsa inventorum absurditas, quae mendaciorum instar habentur a spectatoribus, quam maxime facetiarum attenuat acerbitatem, quam inesse in narratiunculis facile creditur. Qua re, si legimus in Xenophontis Convivio (VI, § 8) a Philippo alludi ad horum iocorum primum (*ἀλλ' εἰπέ μοι* — Socratem alloquitur — *πόσους ψύλλης πόδας ἐμοῦ ἀπέχει· ταῦτα*

1) Annotat Kockius ad vs. 139: „Es ist nicht zu ersehen, wie so die folgende glänzend zu Ende geführte Untersuchung eine *Fehlgeburt* genannt werden könne. Sollte *in den ersten Wolken* vor der Messung des Flohsprunges eine andere Geschichte gestanden haben?" Equidem puto agricolam non Socrati excussisse cogitationem, sed discipulo, meditanti Socratis ingeniosa inventa, quae mox recordatur.

γάρ σε φασὶ γεωμετρεῖν), facile intellegimus Socratem nil acerbi sensisse, sed ob ioci absurditatem iterum potuisse subridere.

Priores tres facetiae, — de ψυλλῶν πηδημάτων μετρήσει, de culicum cantu, de ἀσκαλαβώτου (γαλεώτου i. e. stellionis) facto inverecundo, — eo ipso omni in Socratem carent acerbitate, quod in omnes omnium temporum cadunt philosophos virosque doctos, qui cogitationibus se dare sint assueti et hanc ob rem subtilitates non semper evitare valeant neque attendere simul soleant ad res alias. Ex huiusmodi facetiis cognoscere licet vim comicam, quae uniuscuiusque rei partem quaerit debilem, cuius cum nemo nulla in re sibi sit nescius per se intellegitur talia facile excusari, dummodo sint facete inventa. Quod plerumque imagines illius partis debilis, nonnisi in peius pictae ac distortae, risum movere possunt, spectatores auditoresve non facile adducuntur, ut depravatas illas imagines existiment veras contemptuque dignas.

Accuratius nobis videndum est de quarti inventi — vestimenti aut carnis surreptionis — stultitia.

Licet sine dubio huius narratiunculae contextus non constet ideoque interpretatio suspicionis tantum instar esse possit, tamen nullo modo dubitari posse dixerim quin hoc loco discipulus rustico egregie imponat, ementitus magistrum suum callide perpetrasse furtum. Quo tandem consilio discipulus hoc de furto mendacium adhibet? Ut desiderio quam maxime flagrantem faciat rusticum talem cognoscendi magistrum. Nempe est id ipsum, quod gestit Strepsiades, ut infinita possit uti decipiendi ac furandi libertate. Optime igitur poeta hocce mendacium ultimum posuit. Facto enim callido audito, agricola sese amplius continere non potest, sed quam maxime μαθητιῶν exclamat (vs. 181 sqq.):

ἄνοιγ', ἄνοιγ' ἀνύσας τὸ φροντιστήριον
καὶ δεῖξον ὡς τάχιστά μοι τὸν Σωκράτη.
μαθητιῶ γάρ· ἀλλ' ἄνοιγε τὴν θύραν.

Supervacaneum erit h. l. iterum monere poetam eo consilio ianitorem fecisse illa miracula narrantem, ut rustici corroboraretur falsa de philosophis opinio. Sic rem instituit poeta, ut in fine fabulae Strepsiades eo acerbius ipsius pravae opinionis fiat ludibrium, quo maiore elatus fuisset spe. An accipiendum tibi videtur caveam rationes inter discipulum et Socratem eiusmodi sibi finxisse, ut discipulus aut quae *revera* facta essent proderet aut malitiose magistrum studeret calumniari? Iam diximus omnes absurditates, excepto si placet furto faceto, ioci causa in omnes dici posse philosophos. Quid autem cogitandum de ipso Socratis furto? Num voluit Aristophanes philosophum probum quam acerbissime perstringere, eum caveae cachinnis tradendo? [1])

Videamus. Si rem nobis recte volumus proponere, opus est, ut nos sedentes fingamus inter agrestes, qui gloriantes commemorant, quanta calliditate astutiaque esculenta vel potulenta, plerumque vesperi ante primum incipientis anni diem, animi causa e vicinis amicisque domibus surripuerint. Quo quis astutius furtum vel raptum confecit, eo maiore laude dignus habetur, ridentesque omnia eiusmodi male facta narrant et audiunt. Estne porro opus in animum

---

[1]) Ad locum Berglerus (edit. Burmanni 1740) annotat: „Satis acerba insectatio; si quidem Socrates philosophus, non vulgarem alias gravitatem prae se ferens, in palaestra, ubi pueri exercentur nudi, vestem furatus est."

Absurda sane quae contendit Scholiastes: *διαβάλλει δὲ αὐτὸν ὡς περὶ τὰς παλαίστρας τῶν παίδων ἕνεκεν διατρίβοντα.* Sic semper interpretes èt veteres èt recentiores non solum perstringere amant Socratem, sed etiam poetae ostendere acerbitatem. Cf. Kockii iudicium de vs. 215 (huius cap. § 6, pag. 104).

revocare studiosorum nostratium, modo sodalicio initiatorum, mores, ut quae cochleis vel clavis confirmata videant clam petulantiaeque indulgentes revellant auferantque et domi conspicuo in loco tamquam audaciae calliditatisque signa suspendant collocentve?

Si tibi talem sodalicii alicuius hilarem petulantiam recte animo finges, habebis èt huius loci èt totius nostrae fere fabulae animum habitumque.

Atqui nonne credendum Socratem *ioci causa* tale furtum fecisse? Merum commentum est, nil amplius; revera Socratem quadragenarium et mox quinquagenarium per iocum carnes vel vestem surripuisse, cavea ne suspicari quidem potest; etenim si philosophus perpetravisset tale furtum, omnibusque id esset notum, minus certe inexspectatus, minus innocuus, minus ridiculus spectatoribus visus esset iocus.

Iam redeundum ad vs. 179: *ἐκ τῆς παλαίστρας θοἰμάτιον* (sic. G. Hermannus, *ἱμάτιον* Brunck pro codicum *θοιμάτιον*) *ὑφείλετο,* quem versum dictas ob causas aegre desideraremus [1]).

Quemadmodum ianitor *iocose* — ex rustici autem opinione *serio* — Socratem furti insimulat, sic per se intellegitur non nimis serio accipiendam esse ianitoris praecedentem fictionem: Socraticos non habuisse quod comederent. Hanc autem fictionem cum rusticus tamquam veram acceperit, opus esse dixeris sequi alteram fictionem, non ut rustico appareat quam callide Socrates discipulos suos fraudaverit [2]) —

---

1) cf. Leeuwenii ad vs. annotatio: „suspicor autem versum 179 ex alia fabula adscriptum e margine in textum irrepsisse."

2) Sic enim Leeuwenius, qui censet nonnulla intercidisse, locum interpretatur: „discipulos magistro res intellectu difficillimas acute demonstranti attendisse animum, et aliquot demum horis praeterlapsis, cum *et tempus et ipse amor edendi dudum praeteriisset, recordatos esse se hodie non coenavisse.*"

sic enim ianitor Strepsiadem ob inediam a disciplina absterruisset — sed ut ei sit documentum, quantopere Socrates sollertiam suam soleat adhibere ad victum, aliorum damno, sibi comparandum. Poetam sic sibi rem finxisse, etiam apparet ex ipsius Strepsiadis disertis verbis (vs. 176): τί οὖν πρὸς τἄλφιτ' ἐπαλαμήσατο;

Licet locus ob multas quae insunt difficultates (cf. Leeuwenii commentarius et ann. crit.) satis intellegi non possit, tamen mihi videtur G. Hermanni interpretatio inter eas, quae prolatae sunt, habere probabilitatis speciem. „Esuriens" — sic Hermannus — „cum esurientibus discipulis adstitit Socrates in palaestra ad mensam, in qua et hostia et quibus ad sacra opus est instrumenta iacebant. Ibi mensam conspersit cinere,.. arreptoque veru, eoque in circini modum inflexo, circulum coepit describere, sic ut qui circumageretur circini pes hostiam corriperet secumque auferret." Sine dubio Athenienses facile carebant indiciis, veluti de sacra illa mensa — in qua ex Hermanni opinione et hostia et instrumenta iacerent —, iis autem nobis ad loci interpretationem omnino est opus. In mentem venit, num forte in palaestris fuerint — puerorum propter exercitationes esurientium in usum — τράπεζαι κρεωπωλικαί (cf. Plut. Symp. 2. 10), in quibus carnes assabantur et proponebantur venales. At tum vox θυμάτιον pro carnibus fortasse minus placet.

Strepsiades, qui omnes discipuli iactationes vera ducit eventa — sic enim rustici partes ab histrione sunt accipiendae agendaeque — ob tenacissimas callidissimasque philosophorum cogitationes admirationis plenus, discipulo exclamationibus suis assentari studet (vs. 153):

ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, τῆς λεπτότητος τῶν φρενῶν,

(vs. 166):

ὦ τρισμακάριος τοῦ διεντερεύματος,

absurdissimeque addit, privatae utilitatis studiosus: „fieri nequit, ut reus, qui tam bene culicis noverit intestinum, condemnetur.” Deinde vs. 174 dicit:

ἥσθην γαλεώτῃ καταχέσαντι Σωκράτους,

qui versus sic vertendus mihi videtur: „quantopere in risum effundor ob illum stellionem qui...” cet. Licet enim quam maxime philosophum admiretur neque eius malis possit laetari, — tamen casus nimis ei videtur ridiculus quam ut cachinnos possit comprimere.

Vs. 180 denique exclamat: *τί δῆτ' ἐκεῖνον τὸν Θαλῆν θαυμάζομεν;*

§ 5. Non magis quam quae de Socratis furto modo vidimus ea, quae in sequenti scaena proponuntur spectatoribus, unice in Socratis derisionem excogitata esse mihi videntur. Rogat agricola cum *videt* [1]) discipulos curvatos

---

[1]) Ad vs. 184 perhibet scholiastes: *πεποίηκε τὸ προσταχθὲν ὁ φιλόσοφος καὶ ἀνέῳξε τὰς θύρας. ὁ δε* (sc. Strepsiades) *εἰσελθὼν καὶ θεασάμενος αὐτοὺς ὠχροὺς καθημένους τεθαύμακεν* etc. Minime autem cum hoc scholio quadrant quae legimus ad vs. 195: *κατὰ τὸ σιωπώμενον, ἄλλων ἐξεληλυθότων ἐκ τοῦ Φροντιστηρίου,* et in Vaticano (Zacher p. 702 A. 1): *ἀπὸ τοῦ εἴσιτε καὶ τοῦ ἐπιμεινάντων δείκνυται ὅτι καὶ ἄλλοι τινὲς τῶν Σωκράτους μαθητῶν συνεξῆλθον τῷ μαθητῇ τῷ μετὰ Στρεψιάδου ὁμιλοῦντι.* Cum Strepsiades vs. 510 demum meditaculum intret et non statim postquam discipulus aperuit ianuam, scholion ad vs. 184 nulla fide esse dignum, nemo negabit. Magis probabilis est scholiastae ad vs. 195 coniectura, discipulos alios, ianua aperta, foras exiisse; cf. Heidhuesii observationes (p. 35) Leeuweniique (ad vs. 184). Si sic nobis rem fingimus, opus non est, ut cum Büchelero (p. 670 N. Jhb. f. Ph. u. Paed. 1861) evacuemus vs. 195—199 ut contextui male aptos. Verum enim vero si paululum aliter rem scaenicam institutam esse accipimus, ea quae audiunt et quae cernunt spectatores melius inter sese convenire opinor. Primaria certe est quaestio, quonam habitu *τοὺς ζητοῦντας τὰ κατα γῆς* (vs. 188) nobis fingamus, et *τους σφόδρ' ἐγκεκυφότας*

(vs. 184): ὦ Ἡράκλεις, ταυτὶ ποδαπὰ τὰ θηρία; eosque comparat cum τοῖς ἐκ Πύλου ληφθεῖσι, τοῖς Λακωνικοῖς. Quam rustici opinionem parum favere philosophis in universum, concedo. Nec magis umbraticis honorifica sunt discipuli ipsius verba (vs. 198):

ἀλλ' οὐχ οἷόν τ' αὐτοῖσι πρὸς τὸν ἀέρα
ἔξω διατρίβειν πολὺν ἄγαν ἐστὶν χρόνον.

Sed quid nocere potest sapientibus adhortatio, quam in hisce dictis inesse patet. Dixeris hac in re audacem nostrum poetam fortasse bene meritum esse de umbraticis, qui studii amori tam facile valetudinis curam postponere soleant.

(vs. 191). Ea nos nisi ᶠıllor cogit in hunc modum scaenae dispositionem cogitare. Aulaeo, quod meditaculi hortum usque ad vs. 184 a spectatorum conspectu tegebat, demisso, conspicui fiunt discipuli, partim (οὑτοιί vs. 187) *sedentes* et capite prono, cubitis innixo, cogitabundi βλέποντες εἰς τὴν γῆν (187), partim (οἵδε 191) *stantes* et σφόδρ' ἐγκεκυφότες geometrica inspicientes schemata, in terra descripta (cf. Vitruv. 6 praef.). Cf. Zielinski (p. 36): „erst bei V. 184 geht die Tür auf, und zugleich wird die Mauer im Vordergrunde weggeräumt, so dass der Garten Strepsiades sowie den Zuschauern sichtbar wird" In horto ita aliquamdiu versari discipulos docent vs. 195 et 196. Eos discipulorum habitus cum cernit Strepsiades, quid mirum eum statim exclamare: ταυτὶ ποδαπὰ τὰ θηρία; (vs. 184).

Si nobis fingimus (cf. Heidhuesii, Leeuweniique opiniones) ianua aperta discipulos *exire* foras, necesse esse dixeris eos statim post aut *sedentes* cogitabundos aut pronos *stantes* stulto illo habitu fingamus; sed tum non tam facete dici opinor illa rustici verba: ταυτὶ cet (vs. 184), quae indicant discipulos, aulaeo demisso, iam cerni sedentes pronosque stantes. Accedit quod nova scaena, plene instructa, statim spectatorum movet attentionem Strepsiademque quam maxime reddit attonitum curiosumque, sic ut *continuo* seriem promat interrogationum.

Ad tabulas illas quod pertinet, nihil obstat quominas eas credamus suspensas ad meditaculi parietem, quae est ad spectatores conversa (Vid. Ritterus, Zeitschr. f. d. klass. Altert. Bd. 34, p. 464, Büchelerus, N. Jhb. f. Ph. u. Paed. 1861 p. 668, Heidhuesius p. 35, Leeuwenius ad vs.).

Ceterae huiusce scaenae facetiae si non prorsus tibi videntur innocuae, minime tamen argumento esse possunt, poetam philosophos eorumque studia odisse. Discipulo dicenti: *ζητοῦσιν οὗτοι τὰ κατὰ γῆς*. respondet Strepsiades: *βολβοὺς ἄρα ζητοῦσι*, benevoleque addit: „nolite amplius id curare, ego enim scio, ubi sint magni et pulchri." Hic rideri rustici errorem, ut saepissime in posterum (cf. Actus secundi § 2) facile intellegimus. Verbis *ζητοῦσιν οὗτοι τὰ κατὰ γῆς* poeta imprimis eo consilio uti videtur ut iis adaptet de bulbis facetia.

Estne sequens iocus, discipulos perscrutari Erebi et Tartari ima dum *ὁ πρωκτὸς / αὐτὸς καθ' αὑτὸν ἀστρονομεῖν διδάσκεται*, nobis indicio poetam subsannare voluisse disciplinas, quas Socratem aut nihil aut parum curasse constat? (cf. Xen. Mem. 4, 7, 2—7. Cic. Tusc. 5, 4, 10, de Republ. I, 10, 15. Acad. I, 4, 15). Ridetur ut mihi videtur praesertim ob ipsius ioci absurditatem. Num putas, iocos non *αὐτοὺς καθ' ἑαυτοὺς* risum posse movere, sed semper aliquid subsit necesse esse, quod rideatur? An te offendit quod poeta ex studiis honestis petiverit iocum satis indecorum, quo vulgus delectet profanum?

Sine dubio Aristophanes habendus est in numero eorum, qui ingenii acumen ad facetias dicendas proclive coercere neque possint neque velint. Rectissime talem comicorum animi affectum Carolus Julius Weberus (in libro cui titulus „Demokritos")[1]) hisce denotat verbis: „Zündet man auch ein Licht an um es unter einen Scheffel oder unter den Tisch zu stellen? Mit nichten! Wer es aber kann, wer den Witzkitzel, der den Witzling weit länger kitzelt, als die, die ihn hören oder lesen, unterdrücken kann, der ist in meinen Augen der gröszte Selbstherrscher."

---

[1]) Ueber Witz und Scharfsinn, Vol. I, p. 13, Halle (ed. Hendel).

Concedo comicos saepe nimis inconsiderate suas promere facetias, absque omni laedendi studio saepe invitos alium iniuriis afficere. Sic Plato, pietate erga magistrum commotus, Socratem querentem facit (Apol. c. II): ἐκεῖνοι δεινότεροι, οἳ ὑμῶν τοὺς πολλοὺς... ἔπειθόν τε καὶ κατηγόρουν ἐμοῦ, ὡς ἔστι τις Σωκράτης, σοφὸς ἀνήρ, τά τε μετέωρα φροντιστὴς καὶ τὰ ὑπὸ γῆς ἅπαντα ἀνεζητηκὼς καὶ τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιῶν... οἱ γὰρ ἀκούοντες ἡγοῦνται τοὺς ταῦτα ζητοῦντας οὐδὲ θεοὺς νομίζειν. Persuadere autem mihi dictas ob causas non possum poetam consulto ac data opera tales facetias unice adhibuisse, ut Socratem hacce scaena tamquam deos contemnentem denotaret.

Hic habes, nisi omnia me fallunt, causam cur poeta noster, experientia doctus, in Equitum fabula Chorum fecerit dicentem (vs. 514 sqq.):

νομίζει (sc. ὁ ποιητής)
κωμῳδοδιδασκαλίαν εἶναι χαλεπώτατον ἔργον ἁπάντων·
πολλῶν γὰρ δὴ πειρασάντων αὐτὴν ὀλίγοις χαρίσασθαι.

Minime igitur mirandum poetam alio loco (Eccles. 1154 sqq.) provocasse èt ad *sapientes*, quos sperat fore ut earum rerum sint memores, quas recte et sapienter dixerit, èt ad *eos*, *qui libenter rideant:*

σμικρὸν δ' ὑποθέσθαι τοῖς κριταῖσι βούλομαι·
τοῖς σοφοῖς μέν, τῶν σοφῶν μεμνημένοις κρίνειν ἐμέ·
τοῖς γελῶσι δ' ἡδέως, διὰ τὸ γελᾶν[1]) κρίνειν ἐμέ·
σχεδὸν ἅπαντας οὖν κελεύω δηλαδὴ κρίνειν ἐμέ.

§ 6. Videamus porro de ceteris huiusce scaenae iocis. Tabulam cernens, in qua picta est pars caeli, aliam, in qua geometrica schemata, aliam denique, in qua pars orbis

1) διὰ τὸ γελᾶν Pors. Mein. Dind.; διὰ τὸν γέλων R. Ald. Br. Bekk. Both. Bergk. Blayd.

terrarum est delineata,[1]) rogat Strepsiades (vs. 200): *πρὸς τῶν θεῶν, τί γὰρ τάδ' ἐστίν; εἰπέ μοι.* Spectatoribus, quatenus talium rerum non prorsus sint ignari, si *vident*[2]) atque agnoscunt tabulas, denuo apparet rustici inscientia. „Geometria" roganti, „quam ad rem sit usui," dicit discipulus: ad *τὸ γῆν ἀναμετρεῖσθαι.* Ex huius vocis ambiguitate petitur iocus, idque denuo sic, ut rusticus rideatur ob stultissimam conclusionem: illud *σόφισμα* statuens esse *δημοτικὸν καὶ χρήσιμον,* i. e. *δήμῳ* utilissimum; putat enim totam terram divisuros esse philosophos civibusque pauperibus distributuros. Deinde cum discipulus in tabula geographica deinceps *indicat* — spectatoribus inspicientibus — Atheniensium urbem, regionem Atticam, *Κίκυνναν δῆμον,* Euboeam, Lacedaemona, lepidae Strepsiadis observationes minime eo consilio a poeta excogitatae apparent, ut ars sugilletur geographica, sed spectant aut Atheniensium instituta (*δικαστὰς οὐχ ὁρῶ καθημένους* vs. 208) aut eorum res politicas (*ὑπὸ γὰρ ἡμῶν παρετάθη καὶ Περικλέους* sc. *ἡ Εὔβοια,* vs. 213; *φροντίζετε, ταύτην* (sc. *τὴν Λακεδαίμονα*) *ἀφ' ἡμῶν ἀπαγαγεῖν πόρρω*

---

1) Sic facillime *τὸν σκευοποιόν,* i. e. eum, qui personas et instrumenta parat scaenica, sit poeta ipse utpote *κωμῳδοδιδάσκαλος* vel signator *(régisseur)*, sit alius quispiam, munere suo defungi potuisse arbitror.

2) Leeuwenii opinio (cf. ad vs. 184 annot.), instrumenta astronomica vel geographica oculis spectatorum *non* esse obiecta, sed Strepsiadem ante ianuam apertam de iis cum ianitore confabulari; quod caeli et terrarum imagines festivi nihil potuerint habere, mihi probabilis non videtur. Licet difficile sit decernere, quo modo nobis res scaenicae sint animo fingendae, tamen ad facetias optime intellegendas aestimandasque opus mihi videtur, ut *cernant* spectatores ea, de quibus agitur. Nempe nobis fabulam legentibus iam impedimento est, ad iocos bene aestimandos, incerta de illis imaginibus opinio. Accedit quod studio spectandi indulgere solet cavea, quae et *spectandi* et audiendi causa adest. Haecce observatio valet etiam de fabulae initio, ubi ostenduntur èt pater èt filius in lectis cubantes.

πάνυ, vs. 215). Audiamus autem Kockii verba ad vs. 215: „Da man sich von den Sokratikern ohnehin *einer Vorliebe für Sparta* versehen darf, so glaubt er, *diese* hätten die Annäherung herbeigeführt, und räth dringend dieselbe mit allen Kräften *wieder* (*πάλιν* Ven. lect. accepit v.doct[s].; *πάνυ* R.) zu beseitigen" etc. Estne mirandum ex talibus interpretationibus ortam esse falsam opinionem Socratem in Nubibus unice perstringi? An putandum est, ipsa illa opinione, semel tamquam vera accepta, viros doctos esse adductos, ut quam plurima acerbitatis in Socratem vestigia indagarent? Obliviscitur editor Strepsiadem venerari philosophos ideoque omnium malorum culpam in eos conferre non potuisse. Praeterea verisimile non est, spectatores, nulla alia addita explanatione, respici ad ea, quae Kockio in promptu esse videntur, animadvertisse, aut ex hac facetia efficiendum statuisse Socraticos esse *Λακωνίζοντας*.

Optime fecit poeta, quod Strepsiadem spectatoribus ostendit — ut praesertim in posterum apparebit — magis curiosum quam scientiae cupidum. Cum videt virum in machina pensili *μετέωρον*, rogat: *φέρε, τίς γὰρ οὗτος οὑπὶ τῆς κρεμάθρας ἀνήρ;*

Docentem ianitorem, ipsissimum esse Socratem, precatur Strepsiades, ut magistrum, in cogitatione defixum, alta voce appellet. Loquacem autem discipulum iam repente tempus deficit (*οὐ γάρ μοι σχολή*), ut unum adhuc vocabulum eloquatur. Qua re agricola, aeque submissa voce atque antea filium, iam Socratem alloquitur: valde enim ei est cordi, ut propositum assequatur suum.

§ 7. Consulto paragraphis praecedentibus fusius exposui omnia, quae ad Strepsiadem pertinent, ut ex totius scaenae proposito atque indole appareret poetam id solum egisse, ut in animum ac sententias hominum incultorum

penetraret seseque insinuaret. Semper enim ubique sibi proposuit demonstrare non quo modo ipse, sed quo pacto rusticus stolidus de philosophis deque philosophiae studiis cogitare posset. Quod amplius est: non sibi finxit veram Socratis imaginem, sed quotiescumque sibi Socratem fingere debebat, non propriis oculis uti voluit, sed quasi per rustici oculos sibi Socratis imaginem informavit. Sic fecit Socratem *ἀεροβατοῦντα,* cum Nubibus versantem, deos esse negantem, *τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιοῦντα.* Cur opus fuerit, ut poeta sic sibi rem institueret, iam vidimus. Si enim philosophi ostendisset veram imaginem, rustici errores dissiparentur philosophi consiliis ac sapientia necesse fuisset, nostraque fabula stare non posset.

Quo modo igitur rusticus sibi Socratem finxit? Cognoveratne revera discrimen inter Socratem et Sophistas? Sciebatne accurate, quibusnam studiis Socrates incumberet, quaeve negligeret? Fuitne ei *τοῦ ἥττονος λόγου* notio distincta? Notumne ei fuit, quales philosophi cogitarent deos? At absurdum est, talem de rustico movere exspectationem.[1]) Id aeque est absurdum atque efflagitare a poeta, ut Socratem faciat in nostra comoedia dissipantem omnes illos rustici errores. Agricola sibi fere finxerat Socratem qualem poeta nobis eum in nostra fabula osten-

---

1) Ad hanc rem mihi videtur Fr. Ueberweg (Grundriss der Gesch. der Philos. p. 113) non satis attendisse, quo iudice: „er (Aristophanes) als nicht philosophirender Dichter und (soweit es ihm Ernst damit ist) antisophistischer Ethiker und altbürgerlich patriotischer Politiker die Bedeutung *der specifischen Differenzen* innerhalb der Philosophie kaum seiner Aufmerksamkeit würdigte, geschweige denn deren Wesentlichkeit zu erkennen vermochte." Dixerim id nostram comoediam nos non docere posse, quoniam si de talibus rebus minutis èt Socratem èt Strepsiadem fecisset poeta disputantes, cavea nedum Strepsiades ipse ex iis nihil omnino intellexisset.

dit: ἀεροβατοῦντα, deos contemnentem, pessimum quidque, rustico optatissimum, suadentem. Haecce stulta rustici de philosophis opinio a poeta tamquam ridicula spectatoribus ostenditur. Eam opinionem, effectuum comicorum gratia, in maius esse auctam ut inde nasceretur quod Italis praeeuntibus caricaturam hodie dicere solemus, nemo non videt.

Quo pacto igitur Socrates sese habere debebat erga hanc rustici minime honorificam opinionem? Nimirum, ut se non invitum iniuriam illam pati simularet, necesse erat. Opus enim fuit, ut quam maxime falsa agricolae opinio confirmaretur. Simulat igitur Socrates se esse, quem rusticus putat. vel, quod prorsus eodem redit: rustico opinionem falsam non excutit. Id perspiciunt spectatores. Qui tandem fit, ut spectatores id habeant perspectum? Primo rustici consilium nimis erat stultum, quam ut perfici posse cogitaret quispiam, deinde quicumque ut rusticus noster ad credendum adduci potest Nubes revera esse *deas*, easque philosophorum fautrices, necessario habendus est vesanus, qui sibi egregie imponi facile patiatur; rusticus igitur eo pervenit stultitiae, ut spectatores se aliquanto ei praestare credant; tantopere enim in maius aucta est illa eius stultitia, ut a cavea sapientiore vesaniae instar habeatur necesse sit. Hanc ipsam ob causam intellegunt spectantes Socratem simulare verum esse, quod de eo opinatur Strepsiades; eam ipsam ob causam fabula nostra satis innocua habenda est populi oblectatio: stultissimae rustici observationes movent risum; quod agricola suorum errorum fit ludibrium, id suaviter afficit spectatores. Dignitatem maiestatemque ipsius philosophiae per se ipsam nil imminui, si ei opponis vesani alicuius opiniones, quis non sentit? Minime necessarium, nedum stultum erat spectatores disertis verbis docere, Socratem non serio cum rustico confabulari. Tollis enim omnem facetiam, si,

personam, quam omnes erroribus obstrictam intellegunt, ludibrio habens, coram audientibus profiteris te non serio loqui. Auditorum intellegentiae ne nimis diffisus sis. Nec tamen poeta supersedit Choro eiusmodi tribuere sententias, ex quibus rusticum decipi appareat.

§ 8. Quomodo poeta hoc suum propositum elaboraverit, nunc est videndum.

Optime fecit, quod initio novae scaenae Socratem e loco superiore [1]) rusticum despicientem spectatorum obtulerit

---

[1]) Ad. vs. 218 annotat Berglerus: „Per machinam ostenditur Socrates ridiculi causa, sublimis, in corbe pensili. Glossae: *κρεμάστρα* carnalium." Kockius: Hängekorbe. At quinam philosophum tali modo extulerunt? Num discipuli inverecundi? An proprio Marte sese in hunc modum Socrates spectatorum praebet oculis? At hoc absurdum: partes enim suas deserere Socrati non licet, quem per totam fabulam, dignitatem auctoritatemque suam tuendo, admirationem rustico inicere oportet. Porro qui potuit Socrates ex illa corbe pensili vs. 239 *καταβαίνειν*? Demittiturne a discipulis, rustici precibus commotis? At tunc totam scaenam alio modo oportebat esse institutam. Cuiusnam tandem formae erat machina illa? Id nimirum nos docent nomina, quae rusticus ex suo more ei tribuit nec non ea, quae Scholia et Lexica ad nostrum locum illustrandum exhibent. Sunt omnes illae voces merae rusticanae *ταρρός* (*ταρσός*, cf. *τέρσομαι*, Od. IX, 219), *κρεμάθρα*, *κρεμάστρα*, *ἴκριον*, *πέτευρον* (*πέταυρον*), omnesque eiusdem fere notionis; designant *pensile σκεύασμα*, *e calamis*, *viminibus*, *asserculis confectum*, in quo reponuntur casei, panes, alia. *Κρεμάθρα* (docet Moeris p. 242 *κρεμάστρα* vulgare esse nomen, *κρεμάθρα* dialecti Atticae) apud Suidam est *μετέωρόν τι σκεύασμα, ἐν ᾧ ἐτίθεσαν τὰ περιττεύοντα ὄψα*. Idem dicit schol. ad Nub. vs. 218. — *Ταρρός* secundum schol. ad Nub. vs. 226: *Ἀττικῶς τὰ ἐξ οἰσύων πλέγματα. Ἄλλως: μετέωρόν τι ἴκριον· ἐφ' οὗ αἱ ἀλεκτρυονίδες κοιμῶνται.* — Pollux X, 156: *πέτευρον δέ, οὗ τὰς ἐνοικιδίας ὄρνιθας ἐγκαθεύδειν συμβέβηκεν* (legit Ranke vs. 226: *εἶτ' ἀπὸ πετεύρου* cet.); cf. Phot. p. 426, 11. De voce *ἴκριον* vid. Arist. Thesm. 395: tabulatum ludis spectandis vel contionibus habendis exstructum, cf. Herod. V, 16; Crat. fr. 51.

oculis. Sic enim èt supplicia rustici verba èt superbum Socratis responsum (*τί με καλεῖς, ὦ ἐφήμερε;*) vim adipiscuntur maiorem, quia quae oculis cernuntur verborum illustrant sensum, oppositionemque reddunt acriorem ideoque magis comicam. Inde a vs. 222 usque ad 239 Socrates suum retinet locum superiorem, ex quo Strepsiadi, supplici, credulo, venerationis pleno egregie imponit dicendo:

ἀεροβατῶ καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον.

Agricola, *τὸν ἥλιον* vim naturalem divinamque existimans, rogat:

ἔπειτ' ἀπὸ ταρροῦ τοὺς θεοὺς ὑπερφρονεῖς; —

putat enim philosophum dixisse *ὑπερφρονῶ*, isque error, propter ipsam verbi ambiguitatem minime mirandus, eo magis Strepsiadi in promptu erat, utpote opinanti omnes philosophos esse *ἀθέους*. Antequam igitur ex Socratis ipsius ore audivit deos omnino non esse, iam hic suam promit de *ἀσεβείᾳ* opinionem, quam nimirum prava cupiens noster minime dedecori sed honori philosophis esse vult.

Ut magis etiam stupefactum attonitumque reddat Strep-

Vocibus rusticis tum demum apte ideoque comice Strepsiades utitur, omnesque difficultates supra notatae evanescunt, si nobis fingimus Socratem summa dignitate stantem in *tabulato*, quod *craticulae* instar (cf. Rich. Dict. d. Ant. Rom., s. v. craticula, *ταῤῥίον*) ex asserculis confectum, meditaculo est affixum vel superpositum.

Quia Socrati *καταβαίνοντι* scalis opus erat, — quibus nihil obstat quominus credamus eum inspiciente cavea uti —, scalas iuxta parietem positas ad tabulatum illud duxisse conicio. Tale tabulatum (balcon, bordes) talesque scalae, in publicum ferentes (Liv. XXXIX, 14), Athenis in usu fuisse, difficile sane erit probare. Attamen cum Aristot. (Oec. II, 5, p 1374 a, 4) commemorat *τὰ ὑπερέχοντα τῶν ὑπερῴων εἰς τὰς δημοσίους ὁδοὺς καὶ τοὺς ἀναβαθμούς*, et Pollux (I, 81) *τὰς προβολὰς τῶν ὑπερῴων οἰκημάτων τὰς ὑπὲρ τοὺς ἄνω τοίχους προὔχούσας* (cf. de voce *maenianum* Rich et Forcellini s.v.), non nimis audax mihi videtur suspicio.

siadem, maxima cum gravitate explicat philosophus, cur opus sit ut e loco altiore indaget τὰ μετέωρα. Licetne hic revera exspectare sapientium recentissimas doctrinas, a poeta indicatas et haud sine absconditorum placitorum scientia ab illo explosas? Ne temere credideris. Non enim docet Socrates, sed ludibrio habet rusticum; neque h. l. habemus doctam argumentationem sed iocularia absurdissima. Contendit Socrates se tum demum recte de caelestibus rebus posse meditari, si animum habeat *suspensum*, cogitationemque cum aere, animi consimili, *permixtam*; — attendendum est, quam ridicule adhibeantur voces κρεμάσας et καταμείξας. — Inepta haec explicatio ex mea quidem opinione *petitur* — nil aliud — ex DIOGENIS APOLLONIATAE aliorum doctrina, illis temporibus fortasse per se ipsa minime ridicula: τὸν ἀέρα (τὴν ψυχὴν ὑπέλαβε sc. Diogenes) πάντων λεπτομερέστατον εἶναι καὶ ἀρχήν (Aristot. de anima 1, 2, 15). [1]) Cf. Zeller, Phil. d. Gr. I⁴ p. 251, 1.

Quia in philosophiae ipsius studiis multa inesse putantur vaga et dubia et incerta, fieri potest ut illa τοῦ ἀέρος doctrina adductus sit poeta, ut sibi animi causa fingeret Nubes esse — saltem ex indoctorum opinione — philosophorum fautrices. Huic autem rei fictae, quae rustico tamquam res verissima imponitur, tot tamque faceta ridiculaque debemus inventa (a vsu. 250 usque ad 478), ut facile condonari posse poetae dixeris, si ea fictione paululum philosophica studia in universum perstringi videantur. Etenim, si nihil poetae comico dare tibi placet, animi eius alacritati, cogitationum lusui, ingenii acumini, omnem adi-

---

1) Cf. Diogen. Fragm. 6 (Mullachii ed.):
καὶ ἁπάντων τῶν ζώων δὲ ἡ ψυχὴ τὸ αὐτό ἐστι, ἀὴρ θερμότερος μὲν τοῦ ἔξω, ἐν ᾧ εἰμεν, τοῦ μέντοι παρὰ τῷ ἡλίῳ πολλὸν ψυχρότερος. Cic. de N. D. I, 12, 29: „aër quo Diog. Apoll. utitur deo."

mis vim imaginationique quasi praecidis alas. Si Aristophanis facetiis quam minime velis offendi, tibi cordi sint necesse est Mülleri Strübingii [1]) verba notissima, quae latine reddere libet:

— Eiusmodi facetiae (sc. inhonestae obscenaeque) *tum demum* non solum sunt excusandae et tolerandae, verum etiam, quod amplius est, praebent delectationem maximam — cum originem ducunt ex licentia aliqua nativa, cum oriuntur ex integro et simplici vitae amore atque cupiditate, laetitia redundante, cum poeta et auditores gaudio exsultant in eodem loco, simplicitate innocenti quin etiam impudenti praedito, cum versantur in hortis, ubi nondum ficus pudori praebeat folia, — tum denique cum liber solutusque ingenii acuminis ludus nullum dat spatium ad deliberandum neque de moribus neque de lascivia illa libidinosa, cum hilaris lepos, intervallum, quo homines ab avibus atque a diis distinentur, triumphans quasi ponte sternens, per aliquod temporis momentum ludibrio audaci evulsos deicit angustos honestatis decorisque terminos, intra quos misera angustaque hominum vita scrupulose se tueri solet, cum ille lepos efficit, ut nos, licet per breve temporis spatium et e longinquo, quasi oculos coniciamus in mundum, „ubi licet, quodcumque placet."

Tum denique, cum haec omnia hilaritate lasciva, artificiose summoque studio sunt tractata et sua ipsorum causa „per iocum" sunt dicta, tum denique lector quoque hodiernus, nisi sit putidus atque fastidiosus, a poeta eiusque animi affectibus detinebitur atque obstringetur, et ultro atque inconsiderate per loca sordida inhonestaque ridens eum sequetur; nam ridere necesse est; ridendo sordes abluentur. Si voluptatem delectationemque ex Aristophane legendo capere velis, scias quid sit ridere, necesse est. —

1) Aristophanes und die historische Kritik, p. 114.

§ 9. Hisce interpositis observationibus videamus quae Socrates suae addat explanationi. „Humi stans," sic fere pergit, „nullo modo possem *κάτωθεν τἄνω σκοπεῖν;* terra enim vi quadam ad se trahit *humorem*[1]) meditationis." Et quasi benevole philosophus utitur exemplo, e re rustica petito, ut facilius intellegat agricola:

πάσχει δὲ ταὐτὸ τοῦτο καὶ τὰ κάρδαμα.

Strepsiadem totius explicationis nihil intellexisse ex eo apparet, quod pro sua stoliditate absurdissime rogat:

τί φῄς;
ἡ φροντὶς ἕλκει τὴν ἰκμάδ' εἰς τὰ κάρδαμα;

---

1) Sic vertere velim vocem *ἰκμάδα* (vs. 233). Itaque Schneidero, Kockio, Leeuwenio, aliis, per *vaporem* vertentibus, non assentior. Putare enim h. l. Socrates fingitur — nimirum sine ulla iusta causa sic sibi poeta ipse rem comice proposuit — acutissimeque exprimere: *τὴν Φροντίδα* esse compositam *ex aëre*, qui res caelestes amat, et *ex humore*, qui terrestria cupit, i. e., absque omni tropologia: cogitationes negotiis terrestribus nimis solere impediri.

Secundum Heraclitum (fr. 74(54) apud Gal. de animi moribus 5) arida anima est optima: *αὔη [ξηρὴ] ψυχὴ σοφωτάτη* (ex Stephani coniectura synonymum uncinis includendum censeo). Cf. fr. 73 (53) ap. Stob. Floril. V, 120: *ἀνὴρ ὁκότ' ἂν μεθυσθῇ, ἄγεται ὑπὸ παιδὸς ἀνήβου σφαλλόμενος, οὐκ ἐπαΐων ὅκῃ βαίνει, ὑγρὴν τὴν ψυχὴν ἔχων. αὔη [ξηρὴ] ψυχὴ σοφωτάτη καὶ ἀρίστη.* Operae pretium est conferre Aristot. de part. animal. III. 10: *ὅταν ἑλκύσωσιν (αἱ Φρένες) ὑγρότητα θερμην καὶ περιττωματικήν, εὐθὺς ἐπιδήλως ταράττει την διάνοιαν και τὴν αἴσθησιν.* Socratem — ut animi causa id addam — non cum Heraclito de *ψυχῆς αὔης* praestantia consensisse neque timuisse animum suum *vino madere*, nos docet Platonis Symposion. Inter convivas erant alii *δυνατοὶ πίνειν*, alii *ἀδύνατοι*, Socrates autem excipitur: *ἱκανὸς γὰρ καὶ ἀμφότερα, ὥστε ἐξαρκέσει αὐτῷ ὁπότερ' ἂν ποιῶμεν* (214 A). Alcibiades vas ad vinum refrigandum animadvertens, plus octo cotylarum capax, *τοῦτον* (sc. *τὸν ψυκτῆρα*) *ἐμπλησάμενο(ς) πρῶτον μὲν αὐτὸ(ς) ἐκπιεῖν* narratur, *ἔπειτα τῷ Σωκράτει κελεύειν ἐγχεῖν καὶ ἅμα εἰπεῖν Πρὸς μὲν Σωκράτη, ὦ ἄνδρες, τὸ σόφισμά μοι οὐδέν· ὁπόσον γὰρ ἂν κελεύῃ τις, τοσοῦτον ἐκπιὼν οὐδὲν μᾶλλον μή ποτε μεθυσθῇ.* Cognoscimus ex talibus Socratis indolem, qui cùm genio indulgere tùm servire tempori amabat.

Denuo igitur ipse agricola ridetur, dum Socratis explanatio, agricolae decipiendi causa adhibita, lepidissima a spectatoribus habeatur necesse est. [1]) Rusticus, cum se muneri imparem ac risui haberi sentiat nihilque talibus sibi opus esse, quae ad usum vitae transferri nequeant, subito se colligens Socratem precatur, ut se doceat illa, quorum gratia venerit (vs. 237 sq.):

ἴθι νυν, κατάβηθ', ὦ Σωκρατίδιον, ὡς ἐμέ,
ἵνα με διδάξῃς ὧνπερ ἕνεκ' ἐλήλυθα.

Roganti Socrati, quo consilio venerit, respondet Strepsiades:

βουλόμενος μαθεῖν λέγειν.
ὑπὸ γὰρ τόκων χρήστων τε δυσκολωτάτων
ἄγομαι, φέρομαι, τὰ χρήματ' ἐνεχυράζομαι.

Libere igitur et sine ambagibus agricola èt consilium èt causam, qua cogitur ut addiscat dicendi artem, aperit, omnem spem fiduciamque in Socratis collocans sapientia benevolentiaque, *serioque* addit, opinione falsa sua illaqueatus:

ἀλλά με δίδαξον τὸν ἕτερον τοῖν σοῖν λόγοιν
τὸν μηδὲν ἀποδιδόντα. μισθὸν δ', ὅντιν' ἂν
πράττῃ μ', ὀμοῦμαί σοι καταθήσειν τοὺς θεούς.

Quid mirum Socratem ex agricolae opinione *μισθὸν πράττεσθαι.*

---

1) Kockius non recte m. i. ad vs. 234 annotat: „Der Dichter *verspottet* des Sokrates Gewohnheit seine Behauptungen durch Beispiele aus dem gewöhnlichen Leben zu erläutern." Rectissima mihi videtur Leeuwenii ad hunc versum observatio: „obruitur hisce omnibus (nempe congestis philosophorum, aliorum observationibus de nasturtii acri sapore cet.) iocus comici et offuscatur eius acumen." Quae autem sequitur coniectura, poetam alludere — si bene intellego vocem „echo" — ad comparationem qua utitur Socrates Platonicus in fine Phaedri dialogi (p. 276 B), mihi idcirco verisimilis non videtur, quia fieri non potuit, ut spectatoribus satis esset notum, Socratem aliquando adhibuisse comparationem, qualem Plato refert, neque, si quid video, faceti aliquid vel ridiculi haberet ad talia alludere.

Ultima verba lepidum praebent errorem ob sententiae ambiguitatem. Quid sibi velit Strepsiades, perspicuum est; Socrates autem intellegit avaro rustico nummos *deorum* esse instar, qua re dicit: ποίους θεοὺς ὀμεῖ σὺ (sc. καταθήσειν); [1]) πρῶτον γὰρ θεοὶ / ἡμῖν νόμισμ' οὐκ ἔστι. Obici potest, si vs. 247 supplemus καταθήσειν, Strepsiadem inepta dixisse, sc. se soluturum *deos* (ὄμνυμί σοι καταθήσειν μισθόν, ὅντιν' ἂν πράττῃ, τοὺς θεούς); attamen quae recte locutus est rusticus, data opera prave se intellegere simulat Socrates, ut rustico negotia facessat. In verbis ἡμῖν νόμισμ' οὐκ ἔστι θεοί denuo ambiguitatem inesse luce est clarius; significatur enim: 1° θεοὶ nobis non sunt τὰ νομιζόμενα sive τὰ νόμιμα (cf. Leeuwenii ann.), 2° non habemus nummos, qui sunt deorum instar.

Strepsiades intellegit: nummos, capite deae (sc. Minervae) signatos, Socraticis nihil valere. Iam rogaturus: „quibusnam igitur vos uti soletis nummis, num ferreis ut Byzantii," verba sua distorquet rogando: „per quamnam igitur rem" iuratis, num per nummos σιδαρέους? [2])

„Visne," pergit Socrates, „τὰ θεῖα πράγματα clare et recte cognoscere? et colloqui cum *Nubibus*, nostris deabus?" Libenter consentit agricola. Iam animadvertimus, hanc fictionem non solum festivissimarum facetiarum praebere seriem, sed etiam rustici errorem quam maxime augere, spemque, se consilium suum esse assecuturum, confirmare.

Plurima comici nostri inventa inservire tantum facetiis, neque id unice spectare ut res personave aliqua quam maxime subsannetur, in primis nos docent scaenae sequen-

---

1) Omittitur καταθήσειν, ne amphibolia, quae in sequentibus inest verbis, tollatur.

2) Sic lectionem insolitam τῷ γὰρ ὄμνυτε tueri velim. Leeuw.: τῷ δ' ἀγοράζετ'; Göttlingius: τῷ νομίζετ'; Blaydesius: τῷ γὰρ χρῆσθε; μῶν. Heidhuesius τῷ γὰρ ὄμνυμ';

tes. Cum semel instituisset poeta, ut agricolae imponeretur *Nubes* esse philosophorum *deas*, in promptu erat Socratem proponere quasi novarum dearum *sacerdotem*, a quo initiaretur rusticus. Cum iubetur a Socrate sacerdote in sacro considere grabato, libenter obsequitur, sed coronam capere iussus, timet ne ille tamquam hostiam se mactaturus sit quemadmodum nuper in theatro Athamantem ad aram deductum viderat. Socrates rusticellum perquam pavidum metu liberare studet dicendo, omnes qui initiantur [1]) tales subire caeremonias. Strepsiades, minime omni timore solutus neque curans, quae ad propriam non pertineant utilitatem, rogat: *εἶτα δὴ τί κερδανῶ;*

Licet iam dulcissima audiat Socratis promissa: *λέγειν γενήσει τρῖμμα,* [2]) *κρόταλον, παιπάλη,* tamen nondum satis quietum neque Socratis consiliis propositisque confisum se praebet, incertus, quid sibi ipsi fiat. Quin etiam voce *παιπάλη* audita perterritus surgit, veritus ne revera habeatur victima, quae iam mola conspergatur. Socrati eum placare cupienti dicentique: *ἀλλ' ἔχ' ἀτρεμεί*, respondet suspicionis plenus: „cave me fallas, conspergendo nimirum *παιπάλη* (polline) *παιπάλην* (callidum virum) me facies," vel potius: „num me *παιπάλη* conspergendo *παιπάλην* facturus es?"

---

1) Optime scholion ad voces *τοὺς τελουμένους* perhibet: *τοὺς μυουμένους. ἐνδόξοις δὲ μυστηρίοις παραβάλλει τὰ τῶν Φιλοσόφων μαθήματα, ἵνα ἔτι μᾶλλον πείθῃ προσέχειν τὸν γέροντα ὡς θειοτέρῳ τῷ πράγματι.*

2) Ad vocem *τρῖμμα* annotat scholiastes: *ταῦτα δὲ λέγων λίθους συγκρούει ἄνωθεν αὐτοῦ. ἄλλως· ταῦτα λέγων ὁ Σωκράτης λίθους παρατρίβων πωρίνους καὶ κρούων πρὸς ἀλλήλους συναγαγὼν τὰ ἀπὸ τούτων θραύσματα βάλλει τὸν πρεσβύτην, καθάπερ τὰ ἱερεῖα ταῖς οὐλαῖς οἱ θύοντες... τρῖμμα μὲν τὴν ἀπὸ τούτων ἐκπίπτουσαν λατύπην.* Talia scholiastarum umbraticorum commenta a comica Aristophanis Musa prorsus esse aliena, non esset quod monerem, nisi hodie quoque eiusmodi nugis imponi sibi paterentur viri eruditi (cf. Teuffel. ad l.).

Rectissime, ut mihi videtur, ad hunc locum annotat G. Hermannus: „Coronae eam vim esse significat Socrates, ut dicendi artificiis imbuat eum, cui imponatur." Quae autem addit v. cl.: „corona, ut in vili illa et sordida domo, multo plena est pulvere, quo, dum ea imponitur Strepsiadae, excusso, hic ait: *μὰ τὸν Δί', οὐ ψεύσει γέ με*," minus probabilia mihi videntur. Vox enim *παιπάλη*, quam Socrates tropice adhibuit (sensu *παιπαλήματος*, *hominis callidi et versuti*), a rustico proprio sensu (*pollen. farinae flos*) accipitur. Eo nomine audito rusticum perturbari, quid mirum, cum iam propter coronam impositam victimam se haberi sit suspicatus. Si ponimus Socratem revera senem mola conspergere, ut censent Kockius, Teuffelius, Leeuwenius, primam scholii [1]) interpretationem secuti omnes, tum ex mea quidem sententia magnopere vim comicam attenuamus. Rustici enim angor nos maiore hilaritate afficit, si prorsus nulla adest causa, quam si adest, et revera *παιπάλῃ* vel mola salsa (vel lapidum pulvere? vide p. 114 notam 2) eum tamquam hostiam videmus conspergi. Praeterea est animadvertendum in contextu *τὸν ἱερὸν σκίμποδα* et *τὸν στέφανον* nominatim indicari, molae autem salsae *nullam* fieri mentionem.

Ut saepius iam observavimus, sunt semper rustici errores, qui risum movent. Socratis paupertatem vs. 254 (*κάθιζε ἐπὶ τὸν σκίμποδα*) sugillari, ut Teuffelius arbitratur: „caerimoniae initiationis sunt *sordidae*, qualis ipse fingitur Socra-

---

1) Animi causa referam, quasnam scholia praebeant interpretationes, quarum ultimae tres scriptae quoque videntur a grammaticis, rerum scaenicarum minime peritis. 1. *βαλλόμενος γὰρ ὁ πρεσβύτης τῇ παιπάλῃ ἀποσείεται.* 2. *πληρωθεὶς γάρ, φησί, τούτων, λέγω δὴ τῶν τριμμάτων τῶν λίθων καὶ τῆς λατύπης, ἣν ἔφαμεν παιπάλην καλεῖσθαι, γενήσομαι παιπάλη.* 3. *τῇ χιόνι παττόμεμος, ἐὰν αἱ Νεφέλαι δειχθῶσιν.* 4. *καταπαττόμενος ὑπὸ σοῦ ταῖς πληγαῖς διὰ τὰ μαθήματα, παιπάλη γενήσομαι.*

tes," id spectatoribus ne in mentem quidem venire potuisse dixeris; rustici enim anxietas omnem capit attentionem.

Ex eo, quod Socrates vs. 260 non simpliciter dicit: λέγειν γενήσει δεινός, sed λ. γ. τρῖμμα cet., denuo apparet philosophum id curare, ut novicius quam maxime erroribus illaqueetur.

§ 10. Statim post Strepsiadis admonitionem, se non παιπάλῃ conspergi, sed revera παιπάλημα fieri velle, incipit Socratis ad Nubes deas precatio solemnis, (vs. 263—266, 269—274), interrupta rustici exclamatione (vs. 267 sq.). Et Socratis èt rustici verba inde a vs. 263 usque ad vs. 477 metro gravi anapaestico sunt composita (excipiendi sunt Chori Parodos, 275—290 et 298—313, et Commos 457—475). Sive cantata sunt, sive in modum παρακαταλογῆς sunt recitata, utique metri vocisque gravitas non solum iucundam praebet varietatem post altercationum iambos (vs. 1—262), sed etiam comice argumenti repugnat levitati. In eo, quod Socrates ipse Aëra, Aethera, Nubes quasi philosophorum alloquitur deas, multum inesse offensionis videri potest. Attamen si in theatro talia audis, omnis fere offensio evanescit, quia sentis omnia iocose esse ficta decipiendi rustici ergo, et — quod fortasse rerum est cardo — quia tibi videtur philosophus, qui talia promit, quasi proprio Marte sua ipsius studia ironice agitare: *poetam* enim *ipsum* philosophos habere ludibrio idcirco nobis in theatro non fingimus, quia in scaenam non prodit, sed personatos suos quasi sua sponte facit loquentes agentesque, quia, ut iam hic illic observavimus, poeta sese *pone comicas oppositiones prorsus abscondit.* [1]) Porro animadvertendum

[1]) Hancce nostram persuasionem, ad quam non legendo fabulas sed *spectando* possis adduci, quo difficilius est argumentis probare, eo est iucundius ad ingeniosissimum auctorem relegare Germanum,

est èt inter amicos èt in theatro nil innocentius nobis videri, quam si quem ipsum se suamque indolem ac studia audimus subsannantem. Si facetiis tuis placere cupis amicis, iocose tantum de propriis corporis vel mentis proprietatibus tibi erit disserendum.

Negari autem non potest studia philosophica strictim tangi, utpote quae facile eo adducant praesertim incultos homines veluti Strepsiadem, ut opinentur deos populares apud philosophos nihili esse, numen autem divinum esse habendum *τὸν ὑψοῦ τόνδ' ἄπειρον αἰθέρα* (Eur. fr. 935, Cic. de nat. deor. II, 25, 65), *τὸν πέριξ χθόν' ἔχοντα* (Eur. fragm. 911), qui Aether dicitur *ἀνθρώπων καὶ θεῶν γενέτωρ* (fr. Eur. 869), *κορυφὴ δὲ θεῶν* (fr. Eur. 911). Annon Aristophanes, qui tam audax deos populares (veluti Bacchum in Ranis) in scaena popello deridendos propinare solet, serio philosophis vitio vertere studeat illam de diis opinionem minus angustam, dubitaverim. Praeter numina Aëra Aetheraque finxit ipse poeta *σεμνὰς θεὰς Νεφέλας*, nimirum vaga philosophorum studia denotandi rusticumque illaqueandi causa.

Joannem Paulum Richterum volo, apud quem legimus (Vorschule der Aesthetik I. § 39 p. 169 Hempelii edit. Berol.): „der *komische* Dramatiker — ungleich seinem Darsteller auf der Bühne — *verbirgt sein Ich ganz hinter die komische Welt*, die er schafft; diese allein musz mit *dem objectiven Kontrast* zugleich *den subjectiven* aussprechen," cet. Quae ultima verba quid sibi velint, accuratius circumscripsit Joannis Pauli operum editor, Georgius Zimmermannus: „der komische Epiker stimmt mit *dem Bühnenkomiker* darin ganz überein, dasz er *den objectiven Kontrast zwischen dem lächerlichen Bestreben der komischen Persönlichkeit und der sie umgebenden Verhältnisse* und *den subjectiven Kontrast*, d. h. *die Fiction, dasz in der komischen Persönlichkeit neben ihrem thörichten Bewusztsein das Verständige des Dichters wohne*, also zwei Kontraste in sich und dem Zuhörer unterhält... Dagegen *verschwindet der Komödiendichter ganz und gar hinter den Gestalten, die er produzirt*." Accuratius in hanc rem inquirere, huius libelli ambitus non sinit.

Ut iam vidimus, vis comica splendide demum erumpit, cum rusticulus observationibus suis tamquam uno ictu detergit elatum spectatorum animi affectum, a Socrate et postea a Choro provocatum. Sic (vss. 267 sq.) interrumpit solemnem Socratis precationem exclamando: „nondum, precor, surgant Nubes, antequam complicarim laciniam caputque obtexerim, ne pluvia irriger. Quantopere me poenitet, quod sine galero domo sum egressus." Nemo non intellegit hic Strepsiadis quoque metum, ne verae appareant Nubes, movere cachinnos.

E longinquo auditur (vs. 275) Nubium Chori cantilena serena, elata, divina, per se ipsa nil comici, nil absurdi prae se ferens.[1]) Statim post Chori cantici stropham lepida est oppositio inter Socratis rusticique animi affectum. Socrates enim sensu divino permotus severe atque graviter exclamat (vs. 291):

ὦ μέγα σεμναὶ Νεφέλαι, φανερῶς ἠκούσατέ μου καλέσαντος,

rogatque Strepsiadem:

ᾔσθου φωνῆς ἅμα καὶ βροντῆς μυκησαμένης θεοσέπτου;

Strepsiades, qui omnino sibi fingere non potest Nubes esse deas (cf. vs. 267 sq.), neque tam credulum sese praebere vult quam Socratem opinari censet, pavorem nunc simulat, dicitque tonitru audito: „Veneror equidem vos, o sanctae Nubes, idque ostendere libet vestris tonitribus meos ventris crepitus opponendo." Ad Socratem conversus, „tantopere" inquit, „iis auditis contremisco, quin etiam *καὶ*

---

1) Rectissime Leeuwenius ad hoc Chori canticum observat: „Omnino poetae arte indignum est id quod fuere qui perhiberent, eum consulto — ad deridendam scilicet lyricorum poetarum dictionem tumidam — parum apta verba hic illic admiscuisse hisce Nubium cantilenis vel eadem stirpe plus semel deinceps esse usum." Cf. Rossbach-Westphal. III p. 64: „Aristophanes versteht die daktylischen Rhytmen der Nomendichter ebenso ernst und feierlich (vgl. 315) zu bilden wie nur irgend ein Tragiker."

θέμις ἐστὶν κεὶ μὴ θέμις ἐστί χεσείω." Adhortatur Socrates, qui rusticum divino afflatui nondum satis videt accommodatum: „noli cavillari neque adhibere illas insulsas comicorum nostrorum facetias." Vult nimirum σκώμματα illa ἀσελγῆ καὶ ψυχρά καὶ φορτικά (cf. Eupolid. fragm. 244, Vesp. 57, 66), quibus abundat vetus Attica comoedia. Hoc loco poeta lepide se ipsum in theatro quodammodo perstringi sinit, vel potius ipse ex ipsius arte petit cavillandi materiem. Nempe fieri non potest, ut sic aemulorum condemnet facetias „scatologicas"; ipse enim tam saepe talibus adhibendis iocis cachinnos movere conatur — scatent ipsius comoediae exemplis — ut hac in re alios, veluti Cratinum Eupolidemve prae se contemnere ei non licuerit (cf. Part. II, c. III A § I, p. 139).

Iterum (cf. vs. 263) Socrates εὐφημεῖν iubet agricolam. Nubium enim magnum examen iam appropinquare suspicatur. Revera continuo auditur Chori antistrophe, in qua commemorantur Atheniensium arcanorum sacrorum cultus et praecipue ἡ βρομία χάρις, Bacchica festivitas (τὰ μεγάλα Διονύσια, τά ἐν ἄστει, quibus acta est nostra fabula). Sereno cantu *nunc demum commovetur rusticus*, qui rogat Socratem, quaenam sint istae, αἱ φθεγξάμεναι τοῦτο τὸ σεμνόν, — „num heroinae sunt?" — „Minime", respondet Socrates, „sunt οὐράνιαι Νεφέλαι, numina magna, quae otiosis favent, quaeque nobis iudicium, disputationem, rationem suggerunt, nec non praestigias, loquacitatem, fallacem ratiocinationem, captionem." — Suavissime haecce Socratis verba ad rustici accedunt aures; id enim ipsum est, quod ardentissime cupiat acerrimeque velit. Incredibili gaudio elatus, quod tandem sibi liceat adipisci ingenii facultates, quas tantopere ad fallendos desiderat creditores, tam mirifice Nubium dearum cantu et Socratis explanatione sentit se affectum, ut totus iam pietate erga deas novas imbutus, exclamet (vs. 319 sqq):

ταῦτ' ἄρ' ἀκούσασ' αὐτῶν τὸ φθέγμ' ἡ ψυχή μου πεπότηται,
καὶ λεπτολογεῖν ἤδη ζητεῖ, καὶ περὶ καπνοῦ στενολεσχεῖν,
καὶ γνωμιδίῳ γνώμην νύξασ' ἑτέρῳ λόγῳ ἀντιλογῆσαι·
ὥστ', εἴ πως ἔστιν, ἰδεῖν αὐτὰς ἤδη φανερῶς ἐπιθυμῶ.

Iam apud credulum rusticum et Socrates et Chorus maximam habent auctoritatem. Omnia, quae uterque in posterum ei imponere cupit, statim fide habentur dignissima. Suae apud agricolam auctoritatis gratiaeque conscius, graviter Socrates dicit: „specta nunc ad Parnethem; iam enim video eas tacite descendentes." — Ob curiositatem impatiens morae trepidusque rogat noster, brevissimis utens verbis: *φέρε, ποῦ; δεῖξον* (vs. 324). Placato contra animo pergit Socrates: „Procedunt perquam multae per cava et densa; en istae sunt, obliquae." Maiore etiam videndi cupiditate elatus, rogat Strepsiades: *τί τὸ χρῆμα; ὡς οὐ καθορῶ* (325). - „Ecce, iuxta aditum." — „Iam tandem vix eas cerno (i. e. tandem, sed nondum accurate eas cerno, *ἤδη νυνὶ μόλις οὕτως*).

Ubi Chorus Nubium, quae mulierum habent speciem, totus orchestram intravit, dicit Socrates: „Fieri non potest, ut nunc eas non videas, nisi forte tantis laboras gramiis, ut sint cucurbitarum instar. Admiratione plenus, exclamat agricola (vs. 328):

νὴ Δί' ἔγωγ'· ὦ πολυτίμητοι· πάντα γὰρ ἤδη κατέχουσι.

Sequuntur versus duo (329 sq.), quorum sententias iam norunt spectatores. [1]) Ex Strepsiadis enim exclamationibus (vss. 267 sq., *μήπω μήπω γε* cet, et vss. 293 sqq.: *καὶ βούλομαι ἀνταποπαρδεῖν* cet.) iam apparuit eum Nubes

---

1) Rogat Socrates:
ταύτας μέντοι σὺ θεὰς οὔσας οὐκ ᾔδησθ' οὐδ' ἐνόμιζες;
Respondet Strepsiades:
μὰ Δί', ἀλλ' ὁμίχλην καὶ δρόσον αὐτὰς ἡγούμην καὶ καπνὸν εἶναι.

minime credidisse deas. Tamen hi versus omitti non possunt.

Primo loco primariarum sententiarum iterationes, de quibus postea accuratius videbimus, in theatro non sunt supervacaneae, si quidem fabulae summam intellegi vult auctor. Vs[u]. 330 denuo certiores fiunt spectatores rustici voce et habitu, venerationis pleno, eum priorem suam de Nubibus opinionem (eas esse *ὁμίχλην καὶ δρόσον καὶ καπνόν*) iam omisisse, cum ipsis oculis videat eas habere mulierum speciem. *Deinde* — quod caput est rei — cum his sententiis iam notis coniungenda erat facetiarum *de Nubium forma* series (vs. 341—355).

Ut prorsus persuadeat rustico Nubes deas esse, arripit Socrates occasionem planius etiam quam vs. 316 sqq. enarrandi, quibusnam facultatibus deae Nubes sint praeditae: „*alunt* sophistas, vates Thurinos, medicos, scurras, poetas dithyrambicos, philosophos de rebus aetheriis fucum vendentes, hosce omnes *alunt* otiosos et nihil agentes, grato animo ductae, quoniam ab iis laudibus celebrantur." Quemadmodum *ὁ Δίκαιος Λόγος,* sic h. l. iterum Socrates ipsius studia in ludibrium vertit (cf. quae supra p. 116 iam annotavimus). Inter legendum talia multo magis seria nobis videri quam si in pulpito ipsum personatum quasi proprio Marte audimus proferre, negari non potest. Alia *τοῦ σκώπτειν εἰς ἑαυτόν* exempla passim in Aristophanis inveniuntur comoediis; cf. e. gr. vs. 834 sqq., ubi rusticus ipsius squalorem avaritiamque, sit nesciens, subsannat; vs. 540, ubi poeta suam ipse irridet calvitiem, quin etiam nostro loco verbis *κυκλίων τε χορῶν ᾀσματοκάμπτας* poetam inter Musarum cultores se ipsum non relinquere intactum, satis apparet. An potius credis Aristophanem — cuius ipsius comoediae absurdissima exhibent inventa quasi e *nubibus* petita neque *καπνοῦ* (vs. 320) *καὶ σκιᾶς καὶ φληνά-*

φου dissimilia — tam arroganter sese èt cyclicorum chororum poetis èt philosophis voluisse opponere, ut laude longe videatur dignior quam omnes illi *μετεωροφένακες* (333)? Suis lepidis inventis facetisque oppositionibus risum cachinnosque movere, sit hic illic aut suo ipsius aut aliorum damno, *id adeo est comicorum.* Absurdum est credere comicum nostrum omnes, qui non *manibus* sed *cerebro* — ut ipse — utantur ad victum sibi comparandum vel ut genio indulgeant, h. l. voluisse exacerbare sibique reddere inimicos. Praeterea concedendum Socratem hic non magis perstringi quam poetas dithyrambicos, scurras, alios.

Postquam Socratis de Nubibus explicatio rustico salivam movit (inprimis ob vocem *βόσκουσι* [1]), vs. 331 et 334), subito ei luce clarius est, qua re poetae *ὑγρᾶν νεφελᾶν στρεπταιγλᾶν δάιον ὁρμάν* carminibus tam libenter celebrent. Sic enim sibi victum comparant, quin etiam:

κεστρᾶν τεμάχη μεγαλᾶν ἀγαθᾶν κρέα τ' ὀρνίθεια κιχηλᾶν.

Alluditur ad lautas epulas, quae a chorego dari solebant; cf. schol.: *τὸ δὲ ὅλον τείνει πρὸς τοὺς παρὰ τοῖς χορηγοῖς ἑστιωμένους.* Cf. Plut. Moral. 349 A, B. Lepido igitur ipse iam rusticus utitur argumento ad probandum Nubium numina magnam habere potestatem: qui enim eàs divinis colit honoribus, non solum cibo non caret, sed etiam ei gulae adeo fastidiosae indulgere licet. Est id ipsum, quod rusticellum captat.

Ut optime intellegat cavea, quid sibi velit Strepsiadis exemplum, sc. se nunc perspectum habere qua re *poetae* colant Nubes, — Socratem poeta facit rogantem: *διὰ*

---

[1]) Si versum 334, in quo iteratur vox *βόσκουσι*, cum Bothio Leeuwenioque spurium habes, vereor, ne *auditoribus* (non dico *legentibus*) nimis intellectu difficilem reddas facetiam, quam e voce *βόσκουσι* rusticum petentem fecit poeta. Ipsa enim illa vox rustici in mentem vocat, quae statim promit.

μέντοι[1]) τάσδ' (sc. Νεφελὰς) οὐχὶ δικαίως; Nil respondet Strepsiades; fortasse nutu tantum affirmat, idque sufficit, quia per se intellegitur rustico talia Nubium beneficia admodum placere. Quam ob rem verba οὐχὶ δικαίως; vertenda mihi videntur per „merito, nonne?" Sic enim responsum exspectatur nullum.

§ 11. Cum iam credat Nubes esse *deas*, nondum perspicit agricola, qui fiat ut *mulierum* sint similes. Ut Socratis erat mos – hic tandem agnoscimus in personato Socrate ipsius philosophi morem, eumque minime vitiosum – *interrogando* adducit Strepsiadem, ut comprehendat quae miranda videantur. Φέρε, inquit Socrates, ποῖαι γάρ τινές εἰσιν; – vult scilicet veras nubes; – „non satis distincte scio," inquit rusticus, „sunt certe lanae velleribus, quae per caelum feruntur, similes, minime autem mulieribus, ne tantillum quidem; hae vero, quas nunc video, nares habent." – „Ἀπόκριναί νυν ἅττ' ἂν ἔρωμαι," iubet Socrates. „Vidistine aliquando, sursum spectans, nubem centauro aut pardo aut lupo aut tauro similem?" – „Νὴ Δί' ἔγωγ'," inquit agricola, „at quid ad rem?" – Docet philosophus nubes se iis assimulare mortalibus, quos irridere instituunt. Iterum quaero, nonne spectatores perspiciant necesse sit, philosophum rustico quam maxime imponere. „Si vident κομήτην aliquem" – sic pergit Socrates – „ἄγριόν τινα τῶν λασίων τούτων, οἷόνπερ τὸν Ξενοφάντου (vult poetam lyricum

1) Recte ad vocem μέντοι (vs. 340) annotat G. Hermannus: „μέντοι, *enimvero*, quum *serio* dicentem facit Socratem poeta, ipse id *ironice* accipi vult." Eodem redire, si dicis: *ipse Socrates* id ironice *a spectatoribus* vult accipi, i. e. ipse Socrates *simulat serio* cum rustico se colloqui, supervacaneum erit observare; poeta enim *pone altercationes* sese abscondit. Hic luculenter apparet, quid sit quod Joannes Paulus vocat *den subjectiven* und *den objectiven Kontrast* (cf. pag. 116 nota).

Hieronymum, cf. Eccles. 201, Acharn. 389, scholion), tunc *centauri* fiunt." — „Quid autem faciunt," rogat rusticus, cui *τὸ ἁρπάζειν* cordi esse videtur, „si videant Simonem, *τὸν ἅρπαγα τῶν δημοσίων?*" — „Tunc *lupi* extemplo fiunt." — Ut denuo ostendat se optime intellegere (cf. supra vs. 335), iam affert Strepsiades sua vice aliud exemplum, perspicit enim qua re heri *cervi* sint factae: Cleonymum scilicet *τὸν ῥίψασπιν* adspexerant. — „Et nunc," addit Socrates, „quia Clisthenem conspicatae sunt, *mulierum* [1]) induerunt speciem."

Contentus rusticus omniaque libenter credens, exclamat (vs. 356):

χαίρετε τοίνυν, ὦ δέσποιναι· καὶ νῦν, εἴπερ τινὶ κἄλλῳ,
οὐρανομήκη ῥήξατε κἀμοὶ φωνήν, ὦ παμβασίλειαι.

En rusticellus, a Nubibus omnem suam sperans salutem! Post Nubium ad Socratem rusticumque allocutionem (vs. 358—363), venerationis plenus dicit (vs. 364):

ὦ Γῆ, τοῦ φθέγματος! ὡς ἱερὸν καὶ σεμνὸν καὶ τερατῶδες!

Per *terram* iurando ὁ *ἱφήμερος* (vs. 223) lepide opponitur Nubibus divinis earumque cultoribus, inter quos iam ipse haberi cupit.

Blande ac benevole Chorus (vs. 358) senem, novicium cultorem (*τὸν θηρατὴν λόγων φιλομούσων,* vs. 358), compellat sacerdotemque suum (*τὸν λεπτοτάτων λήρων ἱερέα*) iubet dicere *ὅ τι χρῄζει.*

„Libenter," sic fere loquitur Chorus, „tuis (sc. Socratis) desideriis praebemus aurem, tu enim et Prodicus nobis estis grati atque accepti, hic ob doctrinam iudiciumque, tu vero, quia superbus incedis, quoquoversum oculos coniciens (i. e. diligenter ad omnia attendens), nudisque pedi-

---

1) Nil mirum mihi videtur Nubibus deabus *mulierum* figuram tribuisse poetam. Graecorum enim dei erant *ἀνθρωπόμορφοι.* Vide autem Leeuwenii annotationem ad vs. 341 et proleg. p. V.

bus multa sustines mala, nostraque tutela fretus vultu praefers gravitatem (ἐφ' ἡμῖν σεμνοπροσωπεῖς)." Denuo veri Socratis proprietates commemorantur (cf. Plat. Phaedon. 117 B, Sympos. p. 221 B).

Si cui videatur in hacce Chori allocutione nimium inesse offensionis, secum reputet Chorum se ipsum inprimis irridere, Socratem λεπτοτάτων λήρων vocando sacerdotem et eo spectatores suaviter affici, quod sic Chorus se absurdae fictionis, agricolae decipiendi causa adhibitae, praebet conscium, — rusticum contra Chori cavillationem habere laudationis loco. Quod porro Chorus laudat Socratis incessum et laudari ob talia a diis vanis futilibusque minime putaveris esse honorificum, animadvertendum est denuo, poetam facere Chorum commemorantem non Socratis vitia, sed proprietates minime invidiosas (cf. Plato Symp. 221 B).

Chori verbis (359): φράζε πρὸς ἡμᾶς ὅ τι χρῄζεις nondum respondetur, ut exspectamus. Num forte lacuna est statuenda? Nil veri dissimilius. Poeta duas altercationes (de Nubium *figura*, vs. 340—355, deque earum *divina potestate*, vs. 365—411) Chori allocutione (vs. 358—363) dividi voluit, ne argumentorum similitudine taedium spectatoribus moveret et ut Strepsiadi adoranti manifesta sit dearum benevolentia. Sic verba: φράζε ὅ τι χρῄζεις nihil h. l. aliud indicant nisi: tuis inserviendo desideriis praesto sumus. Vs[u]. 412 sqq., post Nubium divinae potestatis argumentationem, praemonet Chorus Strepsiadem, ut frugalissima utatur vivendi ratione, frigoris laborumque patientissimus, siquidem sapientiae operam dare cupiat. Postquam Strepsiades iussit Chorum hac de re non esse sollicitum, Socratique omni asseveratione affirmavit se alios praeter Chaos, Nubes, Linguam deos in posterum non habiturum, — *tandem* vs. 427 a Choro iubetur dicere qua in re sibi officia Chorus possit praestare:

λέγε νυν ἡμῖν, ὅ τί σοι δρῶμεν, θαρρῶν, ὡς οὐκ ἀτυχήσεις.

Lepidissime tum rusticus, quod iam spectatoribus est notum, hisce denuo exprimit verbis (vs. 429 sq.):

ὦ δέσποιναι, δέομαι τοίνυν ὑμῶν τουτὶ πάνυ μικρόν,
τῶν Ἑλλήνων εἶναί με λέγειν ἑκατὸν σταδίοισιν ἄριστον.

Observandum est altercationes digressionesque, quarum h. l. habemus exempla, idcirco in theatro libenter a poetis adhiberi, quia moram fabulae progressioni afferendo spectatorum augent animi attentionem.

§ 12. Iam illuc est redeundum, unde aberravimus. Postquam rusticus iterum (primum vs. 315, iam vs. 364) Nubium cantu *ἱερῷ καὶ σεμνῷ καὶ τερατώδει* mirifice est captus, dicit Socrates (vs. 365):

αὗται γάρ τοι μόναι εἰσὶ θεαί· τἄλλα δὲ πάντ' ἐστὶ φλύαρος.

Hic versus denuo (cf. vs. 329 sq.) pilae angularis instar est habendus: eo enim utitur poeta ut cum praecedentibus coniungat philosophi ministri de *divina Nubium natura* argumentationem. Credebat adhuc Strepsiades Iovem esse deum optimum, pluviarum, tonitruum, fulminum auctorem, utque periuri feriantur curantem. Omnes hae opiniones Strepsiadi adhuc impedimento erant, quominus suae creditores fallendi cupiditati indulgeret. Excutiendae igitur ei de capite sunt perversae illae notiones omnisque de corde metus. Adducendus enim est ad persuasionem fieri posse quae ardentissime acerrimeque expetat, sc. ut totius mundi societatisque fiat eversio, propriae utilitatis libertatisque studii ergo. Denuo igitur apparet, Socratem id agere ut agricola stolidus ipsius errorum quam maxime fiat ludibrium. Itaque prorsus intactum relinquitur Socratis ipsius de hisce rebus iudicium; intellegit enim cavea eum rustico egregie imponere. Non Socrates igitur, sed Strepsiades cavillationis aculeis est propositus. Ingeniosissime

poeta Socratem tam acutis lepidisque facit utentem argumentis, ut Strepsiades ad postremum non possit non concedere Nubes revera esse *numina omnipotentia!*

„Iuppiter igitur Olympius," rogat Strepsiades (vs. 366), „nonne nobis est deus?" — Ludibundus respondet Socrates:

ποῖος Ζεύς; οὐ μὴ ληρήσεις· οὐδ' ἔστι Ζεύς.

Rogat rusticus: τί λέγεις σύ;
ἀλλὰ τίς ὕει;

Non est multi laboris Strepsiadi persuadere non Iovem, sed Nubes pluere. „An tu," rogat Socrates, „umquam Iovem pluere vidisti sine Nubibus? καίτοι χρῆν αἰθρίας ὕειν αὐτόν, ταύτας δ' ἀποδημεῖν." — Hoc argumentum rustico sufficit, qui iam libenter missam facit opinionem falsam: Iovem διὰ κοσκίνου οὐρεῖν.[1]) Nondum contentus rogat, quis ille sit, qui *tonet*, seseque faciat tremescere. — Αὗται βροντῶσι κυλινδόμεναι, ait Socrates. „Si Nubes multa aqua oppletae," sic fere docet Socrates commune tunc temporis philosophorum placitum, „vi quadam et necessitate coactae moventur gravesque in sese invicem incidunt, rumpuntur et edunt fragorem." Roganti rustico: „sed quisnam est ille, qui cogit ut ferantur, nonne Iuppiter?" — respondetur: ἥκιστ', ἀλλ' αἰθέριος δῖνος. En denuo vox, quam festive adhibuit poeta, ut vocis sono in errorem duceretur agricola, qui iam maxime miratur se adhuc latuisse Διός filium aliquem, qui Δῖνος nominatur, nunc patris loco βασιλεύειν.

Inciderat poeta in duas simul facetias, de δίνῳ deque

1) Quam facile ac libenter Graeci, qui θεοσεβεῖς habentur et sane sunt, ut h. l. rusticus noster, de diis suis iocari soliti sint haec locutio nos doceat. Voces enim κόσκινον et οὐρεῖν nimis comice afficiunt, quam ut credas vulgus serio sic τὸ ὕειν explicasse. Tribuit poeta locutionem Strepsiadi, ut huiusce asseveratio, se revera credidisse (ἀληθῶς ᾤμην), comice opponeretur vulgi opinioni, absurdam esse talem τοῦ ὕειν interpretationem.

ventris strepitu, quae ambae *continuo* huicce placito erant coniungendae, siquidem vim comicam erumpere voluit. Cum de *δίνῳ* iocum praeponere instituisset, opus ei erat nonnullis versibus, copulationis causa; quos versus ingeniose sic adhibuit poeta, ut rustici, cui nimis docta erat interpretatio, fatuitas oblivioque denuo luculenter appareret. „Sed de tonitrus fragore nondum me docuisti," ieiunus dicit, minime attentus, discipulus. Qua re rogat Socrates: *οὐκ ἤκουσάς μου;* repetitque quae iam dixerat. Sequitur rustici rogatio: *φέρε, τουτὶ τῷ χρὴ πιστεύειν;* Iam iocus alter apte annecti potest (vs. 385—393). Sic sibi praebuit poeta occasionem duas facetias uni eidemque dicto religandi. [1])

Ne credideris poetam de *δίνῳ* iocum unice adhibuisse ad philosophorum *ἀσέβειαν* perstringendam, ventris contra crepitum fecisse commemorare ad innocuos movendos cachinnos. Immo, utrumque iocum, ad effectum comicum quod pertinet, idem valere apud comicum nostrum, i. e. eum eo tantum consilio utroque uti, non ut perstringat aliquid, sed ut risum moveat, satis est verisimile. Si enim dimicare voluisset contra philosophorum placita eorumque pervulgationem, certe non oportebat coram infima plebe Socratem ea facere docentem (cf. Part. I c. II § 5; c. III § 10 p. 50 et 70).

Alter, de ventris strepitu, iocus (cuius illud *παπαπαππάξ* valde placuisse popello, facile intellegitur) nos docet spectatores facetias humi repentes illiberalesque minime esse aspernatos (cf. Part. I c. I § 2).

---

1) Nil mirandum duplicis recensionis investigatores hic denotasse retractationis vestigia; cf. Kockii ad vs. 382 annotatio: „Die Behauptung des Strepsiades, es sei *noch nichts* von dem Krachen des Donners gesagt, ist nach 376 ff. *nicht recht* erklärlich. Auch hier ist wohl *die Spur einer doppelten Recension,* obwohl 383 ausdrücklich auf die frühere Stelle zurückweist. Sollte der Scherz 386 bis 391 dem Dichter erst *bei der Ueberarbeitung* eingefallen sein?"

Hic obiectare quispiam poterit Strepsiadem h. l. Socratis explanationem cavillari. Qui autem sic sibi rem proponere cupit, secum reputet, quomodo rustici partes ab histrione sint agendae. Tota nostra fabula nos docet, histrio, qui Strepsiadis suscipit partes, sese praebeat necesse esse *credulum*, *stolidum*, *ignarum*, hic illic autem, ut agricolarum est, paululum sanae rationis ingeniique prae se ferentem acuminis. Si autem histrio identidem èt habitu èt gestibus significaret, se non tam stultum esse atque credulum quam videri possit, tunc eius partium ambiguitas efficeret, ut „subiectivae" oppositionis damno „obiectiva" negligeretur (vide p. 116 notam). Etenim „subiectiva" oppositio *in mente tantum poetae atque spectatorum inesse debet et horum cogitationi ab histrione est relinquenda.* Obiectivam si quam maxime auget histrio, h. l. *credulum* sese praebendo erga philosophum, sibi imponentem, – simul subiectivae oppositiones evidentius exoriuntur. Si igitur – ut oportet „obiectivae" oppositionis gratia – Strepsiadis partium actor sese prorsus *credulum* scrupulosumque praebet, Socratisque partium histrio *serium* se praestat magistrum, — ultro ac sponte *in spectatorum mente* „subiectivae" quae vocantur exsistunt oppositiones, ex quibus tamquam primaria oritur sententia rusticum suae credulitatis futurum esse victimam; hoc enim ratio, quae hucusque inter Socratis et Strepsiadis intercedit partes, spectatores iam docuit.

§ 13. Iam de ipsis iocis pergamus videre. „Sed," sic rogat rusticus, „undenam venire possit *ὁ κεραυνὸς, λάμπων πυρί,* id me doceas, quaeso. *τοῦτον γὰρ δὴ φανερῶς ὁ Ζεὺς ἵησ' ἐπὶ τοὺς ἐπιόρκους.* En opinio, quae adhuc rusticellum valde vexavit. Si huius rei omnem possit deponere metum, aequo animo *ἐπιορκεῖν* ei liceat. Itaque hic quoque metus ei est excudendus. Num credis Socratem etiam in vita

cotidiana id agere solitum fuisse, ut mortalibus persuaderet Iovem non esse, neque eum ulcisci periuros? Si tibi absurdae videntur quaestiones quales hae: num Nubes revera sint deae, num Strepsiades tam sit dithyrambicorum tragicorumque poeseos peritus, ut eam possit παρῳδεῖν (cf. 335—339, 1260 sqq.),aliae multae, quare tandem unica haecce quaestio, num Socrates deos contemnendos esse censuerit, tibi excipienda, i. e. non absurda videatur, rogare velim.

Quanam porro argumentatione utitur Socrates, ut rustico excutiat illam de periuris opinionem? „Si periuri feriuntur," inquit, „nonne Simonem et Cleonymum et Theorum, qui σφόδρα sunt ἐπίορκοι, iam dudum de caelo tangi oportebat? Iaculatur autem Iuppiter ipsius templum et Sunium et quercus magnas, ipsius Iovis sacras; et tamen quercus utique non peiĕrat." Estne accipiendum, comicum nostrum, qui tali argumentatione auditores docet divinam ultionem non exstare, esse morum censorem pium sanctumque? Nisi omnia profluxisse credas ex summa animi hilaritate lasciviaque, cui interdum mortales indulgere amant, dixeris poetam talibus ratiocinationibus, quae refutatu sunt difficiles, ac certe a popello inconsiderato avidis accipi solent auribus, non profuisse sed quam maxime nocuisse reipublicae saluti.

Nondum satis metu solutus, respondet Strepsiades cogitabundus (403):

οὐκ οἶδ'· ἀτὰρ εὖ σὺ λέγειν φαίνει, additque discendi cupidus: τί γάρ ἐστιν δῆθ' ὁ κεραυνός;

Communem eius temporis interpretationem postquam commemoravit philosophus, rustico in mentem venit, quid ei aliquando ventriculum cognatis torrenti evenerit. Hic iterum valet, quod iam observavimus, duas res duove facta, licet separatim nihil aut fere nihil habeant insoliti ridi-

culive, si aliam rem iuxta aliam posueris, ut h. l. *fulmen* iuxta *eventum culinarium*, efficere vim comicam.

§ 14. Sequuntur Chori ad Strepsiadem allocutio (412--419), de qua iam vidimus, et Socratis adhortatio (423 sq.), ut nihil aliud pro diis habeat nisi illa *ἅπερ ἡμεῖς*, *Chaos* nimirum, *Nubes*, *Linguam*. Facile concedimus in hac adhortatione multum offensionis inesse, si nimis serio accipimus, neque meminimus rusticum ex fabulae proposito suorum errorum ludibrium fieri oportere. Si ad hocce poetae propositum nolumus attendere, statuendum est poetam, qui ipse virtutem reipublicaeque commoda interdum non magnopere curare videtur, philosophos tam stultos duxisse virtutis magistros, ut nescirent doctrinis absurdissimis necessario subverti civitatis ordinem. Id verisimile non esse, iam saepe probare sumus conati.

Promittit Strepsiades se alios deos ne allocuturum quidem esse, etiamsi obvius iis fiat. Nunc tandem rogat Chorus, quid sibi velit rusticus. „O dominae," inquit supplex noster, fiduciae plenus, „paululum quidem est, quod a vobis peto: facultate dicendi omnibus Graecis cupio centum stadiis antecedere."[1])

Asseverat Chorus (vs. 431):

ἀλλ' ἔσται σοι τοῦτο παρ' ἡμῶν· ὥστε τὸ λοιπόν γ'ἀπὸ τουδὶ ἐν τῷ δήμῳ γνώμας μεγάλας νικήσει σοῦ πλέον οὐδείς.[2])

Accuratius quid desideret, profitetur noster: „noli credere me velle in ecclesia *λέγειν γνώμας μεγάλας*. Quid mihi ista cum re! Cupio contra *ὅσ' ἐμαυτῷ στρεψοδικῆσαι καὶ τοὺς*

---

1) Eiusdem generis comparatio occurrit in Eupolidis *Δήμοις* (schol. Arist. Acharn. 530), in Platon. Protagora (p. 329 B), aliis locis.

2) Ita Kockius. R.: *οὐδεὶς νικήσει πλέον ἢ σύ.* Leeuwenius *μεγάλας* e vs. sequenti irrepsisse arbitratur, legitque *γνώμας οὐδεις νικήσει πλείονας ἢ σύ.*

χρήστας διολισθεῖν. Iam sequuntur verba magni ponderis ad nostram persuasionem probandam, scilicet non solum Chorum sed etiam Socratem, Chori ministrum, rusticum hucusque habuisse ludibrio (vs. 435 sq.):

τεύξει τοίνυν ὧν ἱμείρεις· οὐ γὰρ μεγάλων ἐπιθυμεῖς.
ἀλλὰ σεαυτὸν θαρρῶν παράδος τοῖς ἡμετέροις προπόλοισιν.

Strepsiades ad summos tolerandos dolores paratum se praebet: „Vobis fretus faciam quod iubetis. Necessitas enim me urget, cogor:

διὰ τοὺς ἵππους τοὺς κοππατίας καὶ τὸν γάμον, ὅς μ' ἐπέτριψεν.

Postquam canendo se extrema mala esse perpessurum declaravit, dummodo debita effugiat et civibus videatur audax, loquax, temerarius, procax cet., Chorus ad spectatores conversus haec cantat verba (vs. 457 sqq):

λῆμα μὲν πάρεστι τῷδέ γ'
οὐκ ἄτολμον, ἀλλ' ἕτοιμον,

deinde Strepsiadem allocutus, dicit:

ἴσθι δ' ὡς
ταῦτα μαθὼν παρ' ἐμοῦ κλέος οὐρανόμηκες
ἐν βροτοῖσιν ἕξεις.

Roganti Strepsiadi: *τί πείσομαι;* respondet: „Omni tempore mecum beatissimam deges vitam."

Rusticus, veritus ne Chorus se promissis tantum cupiat onerare, suo more quaerit, num revera *propriis visurus sit oculis*, quae polliceatur:

ἆρά γε τοῦτ' ἄρ' ἐγώ ποτ' ὄψομαι;

Nubes autem praedicunt eum fore omnium sapientissimum: „Tuas ad fores multi semper sedebunt, ut tecum colloquantur teque de rebus consulant gravissimis." Mandant deinde Socrati, *ministro suo*, ut docere incipiat, quidquid constituerit, *καὶ διακινεῖν τὸν νοῦν αὐτοῦ καὶ τῆς γνώμης ἀποπειρᾶσθαι.*

Antequam docendi facit initium, philosophus nonnullis quaestiunculis, nulla fere cum cura adhibitis — ex more magistri, ante initam institutionem cum discipulo novo confabulantis —, paululum cognoscere conatur rustici ingenii docilitatem. Utitur magister, quasi forte fortuna aut, si vis, ex philosophorum consuetudine, voce *μηχαναῖς* — „dic mihi qualis sit indoles tua, *ἵνα... μηχανὰς ἤδη 'πὶ τούτοις πρὸς σὲ καινὰς προσφέρω*" —; intellegit rusticus machinas bellicas, utpote tropici vocis usus ignarus. „Esne *μνημονικός*," roganti magistro respondet Strepsiades, suae avaritiae praebens indicium: „hoc e casu pendet ipso: si quid mihi debetur, sum *μνήμων πάνυ*, sin ipse debeo — satis sum miser! — *ἐπιλήσμων πάνυ*." — „Estne animo tuo innata dicendi facultas?" — „*Λέγειν μὲν οὐκ ἔνεστ', ἀποστερεῖν δ' ἔνι*." (Multum hanc rustici apertam professionem valere ad fabulae consilium cognoscendum, supra iam observavimus, cf. P. I, c. II, § 4, p. 46). — „Quo igitur pacto discere poteris?" pergit rogare Socrates. — „*'Αμέλει, καλῶς*." —

In eundem modum quae deinde poeta contendentem rogantemque facit Socratem, eo tantum consilio addidit ut aut ex vocum vel sententiarum ambiguitate peteret vim comicam: *προβάλλειν, ὑφαρπάζεσθαι*, aut ex errore, in quem inducitur senex: *κατάθου θοἰμάτιον* — metuit rusticus ne revera verberetur putatque idcirco Socratem modo rogasse *τί δρᾷς, ἤν τίς σε τύπτῃ* (vs. 494) —; *γυμνοὺς εἰσιέναι νομίζεται* — cogitat rusticus, qui nimirum non omni vacat conscientia mali (cf. vs. 487), Socratem vereri ne ipse sit furax —; *τῷ τῶν μαθητῶν ἐμφερὴς γενήσομαι;* — licet Socrates respondeat *οὐδὲν διοίσεις Χαιρεφῶντος τὴν φύσιν*, credit agricola pallore atque valetudine se Chaerephonti similem futurum, exclamatque *οἴμοι κακοδαίμων, ἡμιθνὴς γενήσομαι* (cf. P. II, c. II, § 5, p. 100).

Post haec magister discipulo imperat ut se sequatur in meditaculum. Subito huius labare coepit animus, tantusque metus ac horror eum invadit — proinde ac si puerulus primum frequentare scholam cogitur, quam terroris plenam esse audivit —, ut sibi videatur in Trophonii antrum horrendum esse descensurus.

Inprimis in hac altercatione, praeceptorem inter et novicium, Strepsiadis errores ac metus risum movere, omnemque spectatorum ad se trahere attentionem, sic ut ad Socratem eiusque φροντιστήριον ne attendant quidem, supervacaneum erit dicere. Idcirco enim — ut de φροντιστηρίου tantum cum Trophonii antro comparatione videamus — rident spectatores, quia, prorsus nulla cum adsit timendi causa, omnibus artubus contremiscentem vident Strepsiadem, incredibili modo foeda atque horrenda putantem, quae omni terrore carere perspiciunt (cf. aliud huius rei exemplum P. II, c. II, § 9, p. 115). Tam diu rusticellus — qui quanto magniloquentia (vs. 439—442) praestare visus est, tanto sese nunc praebet ob anxietatem magis ridiculum, — pronus ac pavidus circumspiciens cunctatur, ut Socrati necesse videatur adhortatio (vs. 509):

χώρει· τί κυπτάζεις ἔχων περὶ τὴν θύραν;

Scaena vacuefacta, Chorus ad spectatores se convertit *Parabaseosque* (510—626) commation (510—517) canere incipit. Dum Strepsiadem oculis prosequitur, ei de audacia animique robore (!) cantando gratulatur:

ἀλλ' ἴθι χαίρων τῆς ἀνδρείας
εἵνεκα ταύτης,

speratque fore ut homini, qui tam provecta aetate νεωτέροις πράγμασιν animum imbuere instituerit, prospere consilium suum succedat!

CAPUT III, *A*.

De Chori Parabasi (vs. 512—626).

§ 1. Iam verbis est exprimendum quomodo Parabaseos ea pars, quae metro Eupolideo composita (518–562) poetae ipsius ad spectatores continet allocutionem, nostrum tetigerit animum.

Spectatores iam inde ab illo tempore, quo actae sunt Daetalenses (a° 427), quasi animi affinitate cum poeta nostro coniunctos sese praebuerunt, sic ut eorum benevolentia amicoque erga se animo fretus, comicus quotannis mentis suae dona libenter popello obtulerit.

Vs. 528 sqq.: *ἐξ ὅτου γὰρ...*

ὁ σώφρων τε χὠ καταπύγων ἄριστ' ἠκουσάτην,...

ἐκ τούτου μοι πιστὰ παρ' ὑμῶν γνώμης ἔσθ' ὅρκια.

Quid autem accidit? Praeter opinionem Nubium fabula, licet praebuerit poetae *ἔργον πλεῖστον* (vs. 523) ab ipsoque habeatur suarum comoediarum *σοφώτατ' ἔχειν, θεαταῖς* digna *δεξιοῖς* (vs. 520, 521), tamen non solum primas non tulit, sed ne secundas quidem (vide Hypothesin V); *ὑπ' ἀνδρῶν* enim *φορτικῶν* (sc. a Cratino et Amipsia) *ἡττηθεὶς ἀναχωρεῖν* debebat Aristophanes. Qua re spectatores sapientes ei digni sunt visi qui vituperarentur. Quamvis qui poetam deseruerunt ut sua vice a poeta destituerentur aequum esset, tamen instituit auctor prudentissimus, ex populi favore totum se pendere sentiens, *ἑκὼν* **non** *προδώσειν τοὺς δεξιούς!* (vs. 527) Grata enim spectatorum benevolentiae memoria adductus, novam suam Nubium fabu-

lam optima spe scaenae commiserat. Fuit fabula, ut dicit, (vs. 534 sq.), Electrae instar, amore fraterno flagrans, i. e. vehementer cupiens spectatorum, animi affinitate sibi coniunctorum, amorem favoremque. [1] Lepide igitur sic poeta suam in populum incusationem minus reddit acerbam. Inprimis autem ex iis, quae sequuntur, apparet eum quam maxime id egisse, ne nimis acerbis utendo vituperationibus in posterum caveae prorsus amitteret benevolentiam. Si enim nil amplius morari spectatorum favorem instituisset, in hunc fere modum indignationem suam promere debuisse dixerim: „Non placuit fabula mea, quid mirum! Eae enim comoediae semper sunt gratae et acceptae, quarum facetiae spectant aut ad ignobiles corporis voluptates (vs. 537 sqq.) aut innato hominibus inserviunt studio, quo notos in civitate viros perstringi audire praesertim incultis libet (vs. 549 sqq). Qui fabulam conscribere instituit σοφωτάτην (vs. 522) et σώφρονα (537), necessario posthabetur φορτικοῖς fabularum auctoribus. Debet, ut videtur, comicus *semper* dare non quae ipsi placent, sed quae flagitat cavea: σκυτίον καθειμένον [2]) ne desit! te sic iocari oportet, ut

1) Versu 536 per vocem ἀδελφός spectatores, poetae faventes, intellegendos esse cum Leeuwenio censeo. Ut Electra fratrem e cincinno agnovit, sic poeta ex plausu vel nutu agnoscet suos fautores. Kockio igitur non assentior contendenti (Einl. § 33): „Die beiden mit Orest und Electra verglichenen Geschwister sind, die beiden Komödien 'Schmausbrüder' und 'die neuen Wolken'. Die Familienähnlichkeit ist die Verwandtschaft des Inhalts." Si hoc voluisset poeta, dixisset. Ne temere credideris, spectatores statim perspicere, quod lectoribus adeo nimis quaesitum videri potest.

2) Sic legendum. Dobraeus καθημμένον, ut saepe vidimus in imaginibus, sed tum bis dicitur idem (cf. ῥαψαμένη). Apud Luc. D. D. II, 2: καθειμένος βοστρύχους (cum longis cincinnis demissis); Ael. V. H. XI, 10: τὸ γένειον αὐτῷ καθεῖτο. Dio Cass. LXII, 2: τὴν κόμην μέχρι τῶν γλουτῶν καθεῖτο. Eccles. 100: τὸν πώγωνά τε / ὅταν καθῶμεν, ὃν περιδησόμεσθ' ἐκεῖ.

παιδία [1]) delectare velle videaris (vs. 539), *φαλακροὺς σκώπτειν* ne neglexeris, [2]) si saltationes comicas et lasciviores (*κόρδακας*) spectatorum offeres oculis sensibusque, caveae gratiam certo certius tibi conciliabis (vs. 540). Si quem in pulpito verberibus caedi vel fuste facies dolari, cachinnos plaususque movebis maximos, sintne insulsa quae inter verberandum dicuntur verba, [3]) id nihil ad rem, dummodo verbera acerrime tangant. Pompae quoque, facibus et *τοῦ ἰοὺ ἰού* clamoribus (vs. 543) illustratae, haud aspernandae sunt, si spectatores cupis delectare. Haec autem omnia nihil omnino commune habent cum *arte* comica ipsa. Sunt inventa vilissimo sane pretio, quae a quolibet comico possint adhiberi. Qua re hacce in Comoedia ad ea confugere nolui (vs. 544):

ἀλλ' αὐτῇ καὶ τοῖς ἔπεσιν πιστεύουσ' ἐλήλυθεν,

i. e. in hac mea fabula vobis erit attendendum ad *argumentum* et *ad iocose dicta*. Vobis offerre nolui res facetiasque, inter sese parum aut nihil distantes, sed

---

1) In universum loqui poetam puerilos iocos spectantem apparet; non igitur ex hoc loco efficere licet pueros vel infantes theatra frequentasse. Fritzschius *adulescentulos* intellegit; Richterus autem *servos*.

2) Mirum in modum ad vs. 540 annotat scholiastes: *τοῦτο διὰ τὸν Εὔπολιν*, ad vs. 545 autem (ad voces *οὐ κομῶ*): *χαριέντως δὲ λέγει, ἐπεὶ φαλακρὸς ἦν.* Cur illic Eupolidem, hic autem se ipsum irriserit, non video.

3) Naberi coniectura ingeniosissima *παρόντα, φατίζων πονηρὰ σκώμματα* primo obtutu admodum arridet. Attamen ut e nostra loci interpretatione apparet aegre desideramus oppositionem, quae interesse patet inter *τὸ τύπτειν* et *τὰ σκώμματα*: dum verberari vident spectatores, non attendere solent ad *σκώμματα*. Sic malus poeta sua *πονηρὰ σκώμματα ἀφανίζειν* solet omnis generis inventa scaenica adhibendo. Cf. G. Hermannus (ad vs. 538), qui in eandem sententiam locum est interpretatus. Vide schol. ad vs. 542: *τὰ φαῦλα σκώμματα, ὅ ἐστι τὰς εὐτελῶς πεπλασμένας κωμῳδίας ἀφανεῖς ποιῶν*, cet.

semper novas excogitavi rationes, novaque εὑρήματα (καινὰς ἰδέας vs. 547), quae prorsus sunt dissimilia omniaque affabre adhibita (δεξιά vs. 548). – Nolite autem credere, me gloriari, quod tantam adhibui curam artemque (vs. 545).[1] – Cleonem, cum auctoritate valebat, quam maxime perstrinxi, postea autem, cum iacebat, eum non amplius exagitavi *novam* in eum *fabulam* conscribendo.[2] Sed quid faciunt alii comici, aemuli mei? Cum semel Hyperbolus iocandi praebuit ansam, omnes certatim eum eiusque matrem proculcare (κολετρᾶν) studuerunt. *Eupolis* primus Hyperboli exstitit irrisor, *Μαρικᾶν* fabulam scaenae committendo; misere nostros ille Equites commutavit, addidit tantum de suo anum temulentam, cordacem saltantem. Deinde *Hermippus alii* omnes Hyperbolum traduxerunt, mea libenter imitantes inventa.

Cui tales vilissimi pretii facetiae contritae, insulsae placent, is meis iocis non capiatur. Si contra τοῖσιν ἐμοῖς εὑρήμασιν delectabimini, a posteritate vestrum laudabitur iudicium (560 sqq.)."

Nemo nescit inde ab antiquissimis temporibus ad hunc usque diem inventa, cuius generis poeta noster nonnulla enumerat (vs. 537—543), saepissime eo consilio ab auctoribus adhiberi scaenicis, ut iocorum vel dictorum occultent (ἀφανίζωσι, vs. 542) insulsitatem.

1) Hoc loco (i. e. post vs. 548) quasi ἐν παρενθέσει legere velim vs. 545: κἀγώ cet. Omnibus enim comoediae meritis enumeratis, rectius, nisi fallor, sequuntur verba illa modestiae plena.

2) Observat G. Hermannus ad vs. 546: „etsi in Vespis quoque, quae biennio post Equites actae sunt, saepius Cleonem tetigit, de qua re ipse dicit in illa fabula vs. 1284 sqq., isti tamen loci non potuerunt hic spectari, ubi de universo fabularum argumento et consilio loquitur." Leeuwenius in versu 550 „quot verba tot mendacia" inesse censet.

Alludítur a nostro comico ad talia Ranarum initio:

εἴπω τι τῶν εἰωθότων, ὦ δέσποτα,
ἐφ' οἷς ἀεὶ γελῶσιν οἱ θεώμενοι;

Licet huiusmodi *εὐτελῶς πεπλασμένα* Aristophani non valde placuerint, tamen facile est intellectu eum saepe hac in re sese accommodare debuisse ad multitudinis voluntatem (cf. nostram de utriusque *λόγου* certamine disputationem cap. I, § 2, p. 31). Satis recte igitur Kockius ad vs. 538: „Der Dichter tadelt nicht das Vorkommen der hier genannten Spässe *überhaupt;* er müsste sonst *seine* Stücke gleichfalls verwerfen; sondern dass viele Komiker durch dergleichen wohlfeile Einfälle den Mangel an tieferem Gehalt und an wahrer Kunst zu verdecken suchen und dadurch das, was als *Zugabe* zulässig ist, zur *Hauptsache* machen." 1)

— —

1) Inepta esse quae ad vs. 542 perhibet scholion, quod sane a codice Ravennate aeque atque a Veneto abest, quis non videt: *ἰστέον δὲ ὅτι πάντα ὅσα ἂν λέγῃ, εἰς ἑαυτὸν τείνει. τοὺς μὲν γαρ φάλητας εἰσήγαγεν ἐν τῇ Λυσιστράτῃ, τὸν δὲ κόρδακα ἐν τοῖς Σφηξὶ, τοὺς δὲ φαλακροὺς ἐν Εἰρήνῃ, τὸν δὲ πρεσβύτην ἐν Ὄρνισι, τὰς δὲ δᾷδας καὶ τὸ ἰοὺ ἰοὺ ἐν Νεφέλαις τὸ πρῶτον.* Idcirco verum esse non potest, quod scholiastes umbraticus annotavit, quia e. gr. Lysistratae fabula, quam nominat, a° 411 demum est acta, nostrae autem fabulae Parabasis a° 420 fere vel paulo post a poeta scripta esse videtur (vide Leeuwenii annot. ad vs. 518); absurdae igitur habendae sunt notae illae, nisi cum Brentanone et Nabero statuere velis post Aristophanis mortem nescio quem contulisse in unum, quae sibi in prioribus et posterioribus Nubibus placerent.

Quae alius annotat scholiastes ad voces: *ἵν' ᾖ γέλως*: Τοῦτο φησὶ διὰ τὸν Ἕρμιππον, καὶ τὸν Σιμέρμωνα τὸν τούτου ὑποκριτήν, et alius rursus ad verba *οὐδὲ πρεσβύτης* (vs. 541): *Σιμέρμων τις ἕτερος κωμικὸς ἔν τινι αὐτοῦ δράματι εἰσῆξε πρεσβύτην τινὰ βακτηρίαν κρατοῦντα,* — non minus nobis suspecta videantur necesse est, quia modo *Simermo* Hermippi est *histrio*, modo ipse *comicus*, et specimina satis inelegantis Graecitatis monent auctorem esse fide parum dignum.

§ 2. Post poetae vel coryphaei, poetae nomine,[1] ad spectatores allocutionem auditur denuo Chori cantilena (*τῆς παραβάσεως ᾠδή* 563—574, cui respondet *ἀντῳδή* 595—606), eundem pium prae se ferens Nubium Chori animum, qui iam in Chori Parodo (275—290 et 298—331) nos tetigit. Tales cantilenae sunt quasi *ἀνάπαυλαι παιδιᾶς καὶ σκωμμάτων*, quae post longam iocorum seriem cachinnosque continuos suaviter spectatorum afficiunt mentes. Noli mirari talia Chori cantica pia religiosaque inter facetias reperiri stultissimas. Nobis sane documento sunt *animi sensum elatum excelsumque* intemeratum sese tueri posse iuxta *intellegendi studium cavillandique inclinationem: cogitandi* enim et *intellegendi vis* non necessario animi *sensus affectusque* cogit torpescere, qua re mollissimo animo praeditos, veluti Graecos, non facile omnis generis cavilla-

---

Alia denique scholia, quibus etiam codices Ravennas et Venetus carent, versum 541 sq. referunt aut ad *Eupolidem* aut ad *Hermippum*, quin etiam in codice R. legitur: *τοῦτο εἰς Ἕρμωνα λέγει τὸν ὑποκριτήν.*

Mihi videtur id inprimis egisse Aristophanes, ut spectatores attenderent ad Nubium fabulae virtutes. Volueritne simul sugillare Cratinum et Amipsiam, a quibus erat victus (vs. 524), id frustra quaerimus; caremus enim indiciis. Quae annotat Leeuwenius ad vocem *σκυτίον καθειμένον*: „nuper igitur in alia comoedia aliqua spectatores id viderant et riserant," firmo fundamento niti mihi non videntur, nec magis ea, quae annotata video ad vs. 540 cet. Si forte fortuna in fragmento aliquo — volo Eupolidis in Prospaltiis fragm. 244: *γελῶσιν* (*γελᾷ γαρ* Cobet) *ὡς ὁρᾷς, τὰ παιδία* — alluditur ad eandem rem vel eadem fere occurrunt verba, nimis audax mihi videtur coniectura hoc loco Aristophanem verbis *τοῖς παιδίοις ἵν' ᾖ γέλως* tangere Eupolidem, eius verba detorquendo, Eupolidisque fragmentum sua vice spectare ad Aristophanis Acharnenses (vide Leeuwenii annot. ad vs. 538, ad Vesp. vs. 56, ad Acharn. vs. 738).

[1]) Cf. Pac. vs. 760 sqq, ubi prima utens persona coryphaeus poetae quoque nomine verba facit.

tionibus adduci posse arbitror, ut omnem rerum divinarum amittant sensum.

Postremo est animadvertendum Chorum in cantilenis supra relatis iam absque omni dissimulatione veram suam bonamque indolem spectatoribus ostendere. Annotat Kockius ad vs. 275: „Der Chor zeigt in diesen Gesängen nichts von dem windigen Atheismus der Sophisten,” et ad vs. 564: „Dieser Chorgesang (auch 595—606) weiss nichts von der Entthronung der Olympischen Götter.” Quid mirum: *absente Strepsiade*, iam nil opus est absurdarum de Iove opinionum, quae vs. 367 sq. rustico a Socrate sunt impositae, facere mentionem.

§ 3. Chori epirrhema (vs. 575—594) et antepirrhema (607—626), trochaico metro conscripta, festivissimas in spectatores perhibent incusationes, post *poetae ipsius* vituperationes, paululum acerbas, non mediocriter ludicras. „Palam vos” — sic fere eos alloquuntur Nubes — „incusamus; iniuriis enim a vobis afficimur. Nam licet prae omnibus diis vestrae quam maxime prosimus urbi vosque custodiamus ipsos, tamen nobis solis ex deorum omnium numero neque sacrificatis, neque libatis.” En denuo repugnantia inter ea, quae de Nubibus contendit Socrates, utpote divino honore dignis et revera cultis, atque ea, quae ipse Chorus queritur. Est nobis documento poetam fidem habuisse spectatorum intellegentiae prudentiaeque, ut scilicet Socratem quidvis Strepsiadi probare potuisse perspicerent. Pergit Chorus explanare, qua in re civitati prodesse soleat: „si expeditio aliqua decernitur *μηδενὶ ξὺν νῷ*, tunc tonamus aut stillamus (*ψακάζομεν*). Cum autem *τὸν θεοῖσιν ἐχθρὸν βυρσοδέψην Παφλαγόνα* elegeretis *στρατηγόν*, frontem contraximus indignabundaeque ut tonitrus cum fulmine erumperet curavimus. Luna tunc tantopere est stomachata,

ut de via solita deflectere institueret, sol autem, ad se ellychnio retracto, obstinate recusavit ne amplius luceret, si Cleon elegeretur strategus." *'Αλλ' ὅμως εἵλεσθε τοῦτον,* addit Chorus.

Fac revera èt lunae èt solis defectiones illo Cleonis electionis die evenisse, omnibusque auditoribus fuisse notissimum eo die, licet *διοσημεία* intervenisset, concionem, in qua electus est Cleon, non esse dimissam, — num credis in cachinnos erupisse caveam, cum illa eventa a Choro in memoriam revocarentur? Nonne verisimilius tibi videtur absurdissima mendacia facilius in theatro cachinnos movere posse quam verorum eventuum relationes? Quo magis rem aliquam exornabis, eo evidentior eoque facetius ficta nobis videbitur oppositio, quae inter ipsam veritatem, omnibus notissimam, atque ementientem intercedat superiectionem. Quo absurdiora ineptioraque sunt mendacia, quae promes, eo facilius auditores ridebunt (cf. legati mera mendacia in Acharn. vs. 80 sqq., ianitorisque narrationes in fabula nostra).

Oleum et operam perdidisse dixerim eos viros doctos, qui accurate inquirere instituerunt in illas lunae ac solis defectiones. Cf. Teuffel. ad vs. 584: „Duorum defectuum lunae ac solis qui per hoc tempus evenere (9 octob. 425 ac 20 mart. 424) neuter cadit in Cleonis electionem; v. C. Redlich, de Metone (1854) p. 58 sqq." Prudentius Berglerus ad vs. 582: „Videtur tempestas illo die, quo Cleon dux est factus, orta esse, quae in noctem duraverit, ut nec Luna nec Sol videri potuerit. Itaque in sequentibus non de eclipsi Lunae et Solis loquitur; nam post Lunae eclipsin non potest fieri statim solis eclipsis, nec vice versa." Ex mea autem opinione Berglerus quoque locum nimis serio accepit.

Φασὶ γὰρ δυσβουλίαν — sic pergit Chorus, vs. 587 —

τῇδε τῇ πόλει προσεῖναι. Itaque Nubium Chorus non dubitat civitatis vituperare consilia, dum ipse per totam fere fabulam se praebet malorum consiliorum auctorem fautoremque. En iterum Chori duplicis figurae pars optima ad spectatores conversa.

Chori antepirrhema (vs. 607—626), ab epirrhemate cantici religiosi ἀντιστροφῇ disiunctum, lepidum praebet praecedenti incusationi respondens argumentum. „Cum huc eramus profecturi, convenit nos Luna nobisque mandavit ut Atheniensibus sociisque" — socios saepe inter spectantes in magnis Liberalibus fuisse apparet — „suis verbis plurimam nuntiaremus salutem." Haec benevolentiae captatio incusationi praemittitur. „Deinde — se irasci dicebat, seque apud vos, non verbis sed reapse beneficiis suis cumulatos, mali metere messem. Etenim facium οὐκ ἔλαττον ἢ δραχμὴν τοῦ μηνὸς compendium debetis lunae benevolentiae." Cf. vs. 613 sq.:

ὥστε καὶ λέγειν ἅπαντας ἐξιόντας ἑσπέρας·
„μὴ πρίῃ, παῖ, δᾷδ', ἐπειδὴ φῶς Σεληναίης καλόν."

„Vos contra, quoniam dierum non habeatis rationem, deos coena fraudare solere dicit, cuius rei culpam dei identidem conferant in ipsam Lunam. Cum sacrificari oportet, vos tormentis et iudiciis datis operam. *Nos* autem *dii*" — hic non amplius tamquam Lunae nuntiae, sed ut deae ipsae loquuntur Nubes — „dum ieiunia agimus, Memnonem aut Sarpedonem maerentes, vos libatis ac ridetis. Hanc ob causam nos hoc anno Hyperbolum τῷ στεφάνῳ privavimus (i. e. ei magistratum abrogavimus). [1])

[1]) Magistratus corona distinguebantur a privatis (Dem. Midian. 32 sq.) ut inviolabiles (Plut. 20), cf. Equ. 1227. Sic Teuffelius.

CAPUT III, *B.*

De Actu secundo (vs. 627–813).

§ 1. Post tres ad spectatores allocutiones (brevibus cantilenis divisas), quae *ἐμβολίου* instar, fabulae actionis progressum impedivere, solus Socrates ex meditaculo exit proditque in scaenam. Frustra conatus est philosophus docere rusticissimum nostrum. Iurat per tres novos qui dicuntur deos (Respirationem, Chaos, Aëra) se numquam vidisse hominem, tam stolidum obliviosumque. Quid mirum? eo enim, quod hic exspectabat *τὸν ἥττω λόγον* omnia posse, iam spectatoribus innotuit stupidissimus. „Antequam plene didicerit senex *σκαλαθυρμάτι' ἄττα*" – sic refert Socrates quae expertus sit – „ea obliviscitur." Absente igitur Strepsiade, ab ea indole quam hucusque praebuit non deflectit Socrates (puta iusiurandum per deos novicios). Serium se praebet magister per totam fabulam vanarum rerum cultorem. Num spectatores putent serium illum habitum genuinae esse naturae, inepta est quaestio. Ultro enim ac sponte in mente spectatorum – oppositiones philosophum inter et agricolam cernentium – imago eius rei quam voluit poeta nascitur, i. e. sentiunt spectatores, quantopere rustici stultae exspectationes distent ab hominis sanae mentis cogitationibus deliberationibusque, ab altera autem parte quantum intersit inter veram philosophi indolem atque illud quod vident sapientis simulacrum

simulatumque erga Respirationem Chaos Aëra animi pii sensum (vide Part. II, c. I, p. 72; et p. 116 notam).

Nondum de institutione sua desperans negotiumque minime intermittendum esse ratus, dicit Socrates (vs. 631 sqq.):

ὅμως γε μὴν
αὐτὸν καλῶ θύραζε δευρὶ πρὸς τὸ φῶς.

Ad meditaculum conversus vocat Strepsiadem rogatque ut grabatum secum afferat. Audacter ac libere ex sua indole exclamat rusticus ignavus:

ἀλλ' οὐκ ἐῶσί μ' ἐξενεγκεῖν οἱ κόρεις.

Est ipsa observationis absurditas, quae iocum reddit innocuum. Rusticus enim quidquid in buccam venit — et nimis audacia et prorsus falsa — libere eloqui solet. Ne ab eo exspectaveris aliquid urbanitatis. Eiusmodi de κόρεσι facetias admodum placuisse tenero popello, quis non intellegit? Poetam libenter hac in re caveae summae voluisse gratificari, ex eo apparet, quod postea plus quam triginta versus (vs. 694 -727) iis consecrare sua arte non indignum putavit. Aristophanem talibus iocis *unice* Socraticos voluisse perstringere, mihi persuadere non possum. Flagitat talia plebecula, cuius adeo favorem captare est comicorum.

Philosophus ad ea, quae dixit Strepsiades (vs. 634), non attendens, iubet:

ἀνύσας τι κατάθου καὶ πρόσεχε τὸν νοῦν.

Deponit rusticus τὸν ἀσκάντην, dum dicit: ἰδού, ea voce significans se magistri desiderio satisfecisse.

§ 2. Ad προπαιδείας specimen (vs. 636—692) quod attinet, persuasissimum mihi habeo inanem laborem inire, quicumque disquirere conetur, num poeta impugnandae philosophiae causa Socratem certas disciplinas docentem fecerit,

alias autem neglegentem. Non eas, ut opinor, Aristophanes elegit doctrinas, quas prae ceteris despiciebat ludibriove dignas aut periculosas habebat civibus, sed simpliciter e rebus discendis eas elegit, quae indicabantur nominibus duplicis significationis: *μέτρον* (etiam *χοῖνιξ*), *τρίμετρον*, *τετράμετρον* (etiam *ἡμιεκτέον*) *συνουσία*, *δάκτυλος* (haecce duo et sensu solito et obsceno), *τὰ ἄρρενα* (nomina masculina et mares), *τὰ θήλεα* nomina et res personaeque). Idcirco illae res summam agrestis movent attentionem, quia pertinent, si eas accipis ut rusticus, ad vitam voluptatesque rusticanas et ad corporis sensum. Elegendi igitur optio certis finibus erat circumscripta: altera ambarum significationum Strepsiadis captum *non superare*, altera autem eius intellegentiam *excedere* debebat; utramque contra notionem spectatorum captui oportebat esse accommodatam, siquidem per totam scaenam dissensionum lepidarum seriem spectatoribus offerre voluit poeta. Sic initio scaenae rusticus cogitat *ἀλφιταμοιβόν*, *ἡμιεκτέον*, dum magister *τὴν μετρικὴν* docere cupit (639—646). De *ῥυθμοῖς* locuturus est Socrates; rusticanus autem primum parum aut nihil intellegit, auditis vero verbis *κατὰ δάκτυλον* credit philosophum velle gestum aliquem obscenum. Ad locutionum *κατ' ἐνόπλιον* et *κατὰ δάκτυλον* ambiguitatem cum spectatores fortasse non statim attenderint, rident ob rustici errorem, alteram significationem cogitantis (647—654). Socrati propter vana docendi conamina quasi afflicto et iracundo (cf. vs. 646 *ἐς κόρακας, ὡς ἄγροικος εἶ καὶ δυσμαθής*, et vs. 655 *ἀγρεῖος εἶ καὶ σκαιός*), lepidissime respondet noster: *τούτων ἐπιθυμῶ μανθάνειν οὐδέν*. Vult tantum *ἐκεῖν' ἐκεῖνο, τὸν ἀδικώτατον λόγον*. Pergit autem magister rogare, quaenam quadrupedum (nomina) revera (*ὀρθῶς* cf. vs. 251) sint masculini generis; nominat rusticus bestias mares, familiares suos veteres. *Τὸν ἀλεκ-*

τρυόνα autem in quadrupedum habet numero. Praeterea pro sua fatuitate non satis attendisse videtur eodem nomine significari èt marem èt feminam. Quare, cum didicit gallinam *ἀλεκτρύαιναν* esse vocandam, laetitia exsultans quod tandem se praebuerit docilem et rem didicerit, quam coram illiteratis iactare poterit — postea (vs. 843—853) gloriose adhibet suam scientiam — exclamat (vs. 667 sqq.):

ἀλεκτρύαιναν; εὖ γε νὴ τὸν Ἀέρα.
ὥστ' ἀντὶ τούτου τοῦ διδάγματος μόνου
διαλφιτώσω σου κύκλῳ τὴν κάρδοπον.

Per vocem *ἀλεκτρυόνα* feminam interdum indicari iam perspicit, sed docentem Socratem *κάρδοπον*, vocem feminini generis, proprie non recte dici *κάρδοπον*, repente de suo statu deicitur, quippe qui omnino sibi fingere nequeat, quo pacto res inanimae mares et feminae esse possint. — „*Κάρδοπον* igitur putas esse masculini generis ut *Κλεώνυμον*" — rogat Socrates. Rusticus, denuo nihil quidquam talis intellegens doctrinae, coniciens autem *κάρδοπον* non recte marem dici, rogat *πῶς δή; φράσον*, Socratique dicenti: *ταὐτὸν δύναταί σοι κάρδοπος Κλεωνύμῳ*, ieiunus respondet: Cleonymus non habuit *κάρδοπον* sed in mortario[1]) rotundo *ἐνεμάττετο*. Sitne in hisce nihil obsceni ut Kockius Leeuweniusque putant, affirmare non ausim. Etenim vs. 680 Cleonymus a Strepsiade vocatur *Κλεωνύμη*, tamquam qui muliebria patitur. Oritur sane vox ex novo rustici errore, attamen poeta fortasse consulto in Cleonymi nomine rusticum facit fallentem. Si autem vs. 676 sic accipiendum esse censes, verbi formam *ἐνεμάττετο* (*μάσσω* i. q. subigo) non solum vertendam esse apparet per „*subigebat*" (sc. farinam), sed etiam per „*subigi se sinebat*" (sensu passivo).

---

1) Paupertatem rideri Cleonymi, perhibet scholion, defendit Leeuwenius (ad vs. 675).

Doctus τὴν καρδόπην dicendum esse ut, e. gr. τὴν Σωστράτην si dicis, optime indicas femineam huiusce naturam, licet non videat τῆς καρδόπου indolem effeminatam, tamen, cum se prorsus nihil intellegere profiteri non audeat ob magistri severitatem, tamquam discipulus strenuus attentusque non intellecta memoriae committere instituit secumque alta voce repetit: ἐκεῖνο δ' ἦν ἂν καρδόπη, simulque pro sua stultitia vel animi perturbationis causa in novum incidit vitium, Κλεωνύμη, quasi femina sit, dicendo. [1])

Sequentis versus (681) sensum huncce puto: „nominum (sc. substantivorum) genera *nondum satis* intellegis," vel: „opus est ut ea *melius* addiscas." Benevole enim, ut decet magistrum, Socrates discipulum alloquitur. Spectatores autem ex rustici habitu gestibus responsis iam diu effecerunt eum omnino nihil intellexisse, excepta voce ἀλεκτρύαινα. Iam vocem ὀνόματα perperam accipit; putat enim virorum et mulierum *nomina* (ὀνόματα i. e. appellativa) velle magistrum, utque ostendat se optime hominum genera intellegere, nominat èt mulierum (sint meretrices, ut scholia perhibent, per me licet) èt virorum nominum seriem. Iterum autem animo conturbatur, cum audit philosophum dicere quae commemoret non esse ἄρρενα. Vult videlicet nomina magister, dicit autem ambiguitatis causa ταῦτά γε. Lepide autem rogat rusticellus: οὐκ ἄρρεν' ὑμῖν ἐστιν; (688). Argumentum, quo nunc utitur Socrates, disertum spectatoribus est indicium, eum minime serio hominem brutum docere, sed huiusce stultitiam habere ludibrio. Rogat enim Socrates: „quomodo voces Amyniam, si in eum incidas?" — Dixerim: „heus tu, Amynia!" — „Ὁρᾷς;" respondet Socrates, „γυναῖκα τὴν Ἀμυνίαν καλεῖς." Se colli-

---

[1]) Video Kockium eodem modo hunc versum esse interpretatum.

gens „quidni recte," ait rusticus, „quippe qui militiam deserat," et veritus ne pergat magister se, discipulum hebetem, ad incitas redigere, quasi superbus et arrogans, dum suam ignorantiam celare conatur: *ἀτὰρ τί ταῦθ', ἃ πάντες ἴσμεν, μανθάνω;* Verba *ἃ πάντες ἴσμεν* ambigue esse dicta apparet: utrum Amyniam esse feminam omnes scire significet Strepsiades an omnia quae docuerit Socrates omnibus esse notissima, praesertim nil intellegenti discipulo ipsi, spectatores data opera incertos relinquit poeta. [1])

Satis apparuit, nisi omnia me fallunt, Strepsiadem etiam in hac scaena a Socrate in augustias adduci et ob errores, in quos inducitur, animique varias conturbationes spectatorum attentione unice esse dignum. Dandum igitur mihi videtur, hoc loco èt philosophum ipsum èt studia, quae profitetur, intacta relinqui nec rideri omnino. Quantopere a nostra scaena distant illae Platonis in Euthydemo *τῆς σοφιστικῆς διαλεκτικῆς* imagines! Qui denique potuerit poeta per ludibrium vertere studia doctrinasque, quas ipse utpote elegantissimus auctor adhibere cotidie debebat, volo artem metricam, genera substantivorum, cetera? Praeterea est concedendum fabulam nostram non esse scriptam viris doctis hodiernis, qui pro certo constitui

---

1) Leeuwenius ad Amyniam ceterosque tantum spectari censet, qua interpretatione mihi versus vis comica attenuari videtur.

Quae post vs. 693 respondet Socrates: *οὐδὲν μὰ Δί'* viris doctis, duplicis recensionis vestigia indagantibus, minime placuerunt.

Teuffelius statuit: „eine unleugbare Schroffheit des Uebergangs." Heidhuesius autem (p. 23 nota 32) vertendum esse censet per: „O, zu gar nichts!" Leeuwenius verbum *οὐδὲν* aut corruptum aut lacunae indicium suspicatur. Wolfius: „das kann wohl seyn." G. Hermannus: „*nullo pacto*," coll. Avib. vs. 1360. Dixerim verba esse concedentis — sit ironice —: „recte dicis, nihil opus est ut addiscas." Vestigia autem inesse retractationis aut in hoc versu aut in praecedenti admittere non possumus.

posse credunt, quibus studiis, nimirum ridiculis, Socrates, quibus alii philosophi dederint operam; contendit e. gr. Kockius (ad vs. 638): „Sokrates hat solche Dinge nie gelehrt: es ist die Orthoëpie des *Protagoras* gemeint," [1]) quasi caveae hoc notissimum fuisset, et si fuisset, id ea curasset! Longe abest ut talia equidem credam. Illiteratis spectatoribus, ignaris de plebe hominibus (inter quos sine dubio erant, qui de nominum generibus numquam audissent), facetias suas obtulit poeta, quod inprimis eo apparet, quod facetias, ad hanc rem pertinentes (ad genera volo), per humum fecit repentes, sic ut illiteratus fere eas posset capere. Qui factum sit ut viri docti in cogitationem incidere potuerint, spectatores, de plebe homines, identidem aeque accurate scivisse atque doctos viros, cuiusnam studia hic cuius illic *poeta ipse* (!) in pulpito irrideret, perfacile intellegitur si tibi fingis virum doctum, *legentem* nostram fabulam cogitantemque omnia, quae Strepsiades dicit, *poetae ipsius* referre opinionem, fabulamque esse scriptam, non caveae ineruditae sed ipsi viro

1) Prudentius sane Bergkius, fragm. Arist. p. 333: „errant qui ista verba περὶ ἐπῶν ad poesin referant, de qua nihil omnino dicit Socrates, immo respiciunt grammaticam illam doctrinam, quam Protagoras ὀρθοέπειαν appellavit, quamque illustrat Socrates inde a vs. 648 sqq."

Kockius eiusdem est sententiae (ad vs. 638): „περὶ ἐπῶν ist die Lehre von der Orthoëpie (cf. Ran. 801, 1181) nicht etwa von der Auslegung der Dichter, wie man nach Plat. Prot. 338 E ff. (περὶ ἐπῶν δεινὸν εἶναι) vermuten könnte." Hisce postremis verbis refutare videtur Kockius Grothii sententiam (de Socrate Aristophanis, dissert. liter. Trajecti ad Rhenum 1843 pag. 124): „Nimirum utrumque studium, verborum cognitio et poetarum interpretatio, arctissime erat copulatum.... disquisitio illa περι ἐπῶν proprie *de versibus* instituta dein latiore sensu de verbis et grammatice usurpata (est). Declarat hoc locus Platonici Protagorae p. 338 E, 339 A." Nil obstat, nisi fallor, quominus h. l. per περὶ ἐπῶν significare Socratem putemus artem grammaticam vel potius nominum genera.

doctissimo umbratico. Postremum non est obliviscendum veri aliquid inesse in iis, quae annotavit Godofredus Stallbaumius ad Plat. Theaet. p. 143 B: „Nimirum est haec vis assidui severiorum literarum studii, ut animum facile *a vitae communis hilaritate* reddat alienum eique *nescio quid austerae gravitatis et tristitiae* conciliet."

Eruditae igitur annotationes, licet maximi sint pretii lectoribus eruditis, [1]) haud raro nullius sunt momenti ad

---

[1]) Cf. annotationes Kockii ad vs. 637 en 638. Ad verba: *οὐκ ἐδιδάχθης* annotatur: „Aehnlich *prahlt Protagoras* bei Plat. 318 D." Ad vs. 638: „*Prodikos* orthoëpische Forschungen gingen (vgl. Plato Prot. 315 D E, cet., Euthyd. 277 E, Kratyl. 384 B) auf Feststellung des richtigen Gebrauches der *Synonyma*, die des Protagoras betrafen das grammatische Genus, die Satzformen u. dgl. (Arist. Rhet. 3, 5, Soph. Elench. 14, Quintil. 3. 4. 10)." Talia versibus singulis quasi uncis appendere nemini potest nocere; sed si addita videmus qualia haecce: „die Anmassung danach den Sprachgebrauch und den Homer (Sophist. Elench. 14) meistern zu wollen (sermo est de Protagora) *erschien mit Recht lächerlich*," in errorem inducantur fabulae nostrae lectores necesse est. Etenim cavendum est, ne credas spectatores Aristophanis temporibus illa omnia scivisse ideoque, philosophorum studia si a poeta tam occulte perstringerentur, intellegere potuisse huiuscemodi facetiarum consilium.

Quae annotavit v. cl. Van Leeuwen ad vs. 361: „dixeris eiusmodi argutias, quales Prodicus appetebat, Aristophani quam maxime absurdas debuisse videri," ad nimis quaesitas minutasque subtilitates dum spectant, contradici non possint. Sit verum, quod perhibet Argumentum VI: *τοὺς κωμικοὺς πρὸς τους Φιλοσόφους ἔχειν τινὰ ἀντιλογίαν*, tamen nullum habemus indicium Aristophanem, elegantissimum scriptorem, „de verborum proprietatibus et differentia" studia putasse absurda.

Audiamus quantum honoris facetiis innocuis tribuerit Brentano (p. 71 Unters. ü. d. Gr. drama): „Dahin gehört es, wenn Sokrates (636 ff.) *in der marktschreierischen Weise der Sophisten* sich erbietet, Dinge zu lehren, von denen der Schüler noch niemals etwas gehört habe — eine Methode den Unterricht einzuleiten, welche anerkanntermaassen der Sokratischen diametral entgegengesetzt war, als Eigenthümlichkeit des Protagoras dagegen ganz

facetias humi repentes intellegendas, quin etiam risui innocuo saepe sunt impedimento. Tanto enim studio viri eruditi nobis obtrudere atque inculcare non desinunt opinionem, Aristophanem studia utilia per ludibrium vertisse,[1]) cui opinioni qui aures praebet, nimis fit severus in poetam iudex quam ut cachinnis possit indulgere.

Ut ex unaquaque scaena apparet, summo studio depingit poeta Strepsiadis imaginem, sic ut histriones huius tantum partes duxisse certum habeam, quas vernaculo sermone vocamus: *een dankbare rol*, latine fere: partes gratas acceptasque. Socratis contra effigiem quasi τοῦ τυχόντος

---

ausdrücklich erwähnt wird (Plat. Protag. 318 D)." Post ea, quae iam diximus, huius opinionis refutatione opus non erit. Ad. vs. 666 ἀλεκτρύαιναν recte annotavit Leeuwenius: „novam hanc vocem e Protagorae disquisitionibus de nominum generibus desumtam esse parum probabilis est Kockii suspicio."

1) Quantopere viri docti oblivisci soleant in comoedia vim comicam esse caput rei, ostendit e. gr. Brentano qui putat ex eo quoque apparere Nubium fabulam ex duabus fabulis esse contaminatam, quod non Socrates sed Protagoras docere profitebatur discipulum περὶ οὗ ἥκει (pag. 72, nota 1): „Zu beachten ist übrigens, dass im weiteren Verlauf dieser Stelle (vult Protag. 318 D E) Protagoras hervorhebt: παρὰ δ'ἐμὲ ἀφικόμενος μαθήσεται οὐ περὶ ἄλλου του ἢ περὶ οὗ ἥκει. τὸ δὲ μάθημά ἐστιν εὐβουλία περί τε τῶν οἰκείων, ὅπως ἂν ἄριστα τὴν αὑτοῦ οἰκίαν διοικοῖ καὶ περὶ τῶν τῆς πόλεως κτλ. Hier wäre Strepsiades II demnach vor die rechte Schmiede gekommen." Per se tamen intellegitur poetam data opera Socratem fecisse dicentem de multis rebus, quibus nequaquam opus est rustico. Sic enim reddit philosophus rusticum ob impatientiam trepidantem atque desperationis plenum, quae viri, utilitatis suae tantopere cupidi fraudumque studiosi, condicio suaviter afficit spectatores. Si Protagoram habuisset magistrum neque doctus esset περὶ ἄλλου του ἢ περὶ οὗ ἥκε, tunc desideraremus nimirum hasce scaenas festivissimas, vel potius totam fabulam. Protagoras enim, ipsum usum docens, paucissimis verbis erudire potuisset rusticum: „infitias ire, peierare, ianua abigere, en tria, quibus te defendas contra creditores." Quasi tale μάθημα sit εὐβουλία περὶ τῶν οἰκείων!

magistri adumbratis tantum lineamentis pictam spectatoribus obtulit. Designatur enim in universum tantum hic illic philosophorum species, cogitationibus meditationibusque deditorum, nempe vss. 740, 742, 743, 761; non autem talia unice cadunt in Socratem. Facile intellegitur Strepsiadis partes a *Protagonista* esse actas.

§ 3. Post *προπαιδείας* specimen (vs. 636—692) Strepsiadisque verba: *ἀτὰρ τί ταῦθ', ἃ πάντες ἴσμεν, μανθάνω;* festiva sequitur scaena, in qua Socratis iussu rusticus *φροντίζει*.

Non autem statim haec scaena praecedenti coniungitur. Ut cogitationibus libere se dare possit, opus est ut decumbat rusticus in grabato, quem vs. 633 magistri iussu iam extulit (cf. vs. 254). Precatur autem agricola, ut humi decumbere sibi liceat, nam... modo sibi grabatum efferenti cimices iam maximum iniecere terrorem. Hic ridere caveam impavidum discipulum, satis liquet. Num credat Socratis *ἀσκάντην* (*σκίμποδα*, vs. 254, 709) revera cimicum esse plenam aut ipsum *poetam* Socraticorum squalorem ludibrio habere, urgenda non est quaestio. De poeta ipso nullus spectator cogitat, et quid refert stultissimi squalidique bruti opinio de aliorum immunditia? Qui psychologica amat studia, hic habet exemplum, e vita cotidiana petitum, quo efficiat hominum de alienis hominibus iudicium pendere ab ipsorum indole, animi vitaeque condicionibus, vitiis, virtutibus: avarus enim alterum avarum, fur furem, probus probum, sordidus sordidum alterum esse facile ut suspicetur adducitur.

Licet de cimicibus facetiae ex humillimi generis rebus sint petitae, tamen, quoniam magna cum arte sunt elaboratae, Atheniensibus omni caruisse offensione, facile nobis possumus persuadere. Canentes enim Chorus et Strepsiades

lepidas eo praebent oppositiones, quod Chorus non satis intellegit, qui fiat, ut *cogitationes* rusticum tanto afficiant dolore; non enim audivit Chorus verba: *κακοδαίμων ἐγώ, οἵαν δίκην τοῖς κόρεσι δώσω τήμερον* (vs. 699 sq.), quae spectatoribus tantum sunt destinata.

Cum igitur rusticus in grabato sese volutat, et dolores *ἀτταταῖ, ἀτταταῖ* exclamando (vs. 706) significat, non suspicatur Chorus, quod cavea iam intellegit, non solum agricolae gestibus sed etiam disertis verbis (vs. 634, 699) certior facta. Sententiae igitur ambiguitas apparet, cum spectatores Chorum audiunt iubentem (vs. 700 sqq.):

φρόντιζε δὴ καὶ διάθρει, πάντα τρόπον τε σαυτὸν στρόβει πυκνώσας (rusticum sese volutantem cimicesque investigantem videt cavea).
ταχὺς δ', ὅταν εἰς ἄπορον πέσῃς
ἐπ' ἄλλο πήδα
νόημα φρενός· ὕπνος δ' ἀπέστω γλυκύθυμος ὀμμάτων (id facile fieri, perspicit cavea).

Postquam Chorus rogavit: *τί πάσχεις, τί κάμνεις;* responsi ambiguitate magis etiam in errorem inducitur, agricolam *τῷ φροντίζειν* solum tantopere cruciari opinatus. Dicit enim rusticus *τοὺς Κορινθίους* se vexare, quasi *molestis* de Corinthiis *cogitationibus* oppressus. Cavea nimirum intellegit quinam sint illi *κορ...ίνθιοι* (de huiusce generis *ironia* scaenica postea videbimus, c. V, § 1, p. 168). Vis comica h. l. eo augetur, quod rusticus acerrimis vocibus indecorisque verbis (vs. 713 sq.) dolores significat, quodque qui antea tam impavidum se praebere studuit, iam cimicum innocuis morsibus se periturum arbitratur (vs. 715, 722, 725). Chorus, de *κόρεσι* nil suspicatus, consolari conatur miserum illum, cui *τὸ φροντίζειν* tam acres pariat dolores (vs. 716):

μή νυν βαρέως ἄλγει λίαν.

Ad nostrum redit Socrates, quem absentem fuisse per postremam altercationem aut meditabundum adstitisse verisimile est. Rogat magister, num meditetur; — „*Νὴ τὸν Ποσειδῶ,*" affirmat agricola: „meditor num cimices aliquid de me sint relicturi." — *'Απολεῖ κάκιστ'.* — *'Αλλ' ὦ ἀγάθ', ἀπόλωλ' ἀρτίως.* — Magistro igitur, cui iam nota est rustici *ἐκ τῶν κόρεων* anxietas (vs. 634), non dissimulat dolorum causam, quam opinatam esse nullus non spectator intellegit, utpote expertus quam facile vanus pulicis metus dolorem possit evocare ad veros ex morsu dolores proxime accedentem.

Iterum rogat Socrates rusticum, ut cogitationibus se tradat (vs. 728 sq.):

ἐξευρετέος γὰρ νοῦς ἀποστερητικὸς
καὶ ἀπαιόλημ'

Denuo magister relinquit scaenam. Interim „*οἴμοι,*" exclamat agricola, „quis tandem ex pellibus agnorum innocentium, a fraudibus alienissimorum, sibi inicere poterit *γνώμην ἀποστερητρίδα?*" Statim redit Socrates dicitque (vs. 731):

φέρε νυν ἀθρήσω πρῶτον ὅ τι δρᾷ τουτονί.
οὗτος, καθεύδεις;

Tunc sequitur iocus, quem et scholiastes et nonnulli viri docti (cf. Heidhuesii interpretatio p. 25) ita illustrandum esse putavere, ut non risum sed nauseam moveat. Dictum ipsum caveae summae iam sufficit, opinor, ad risum movendum.

Estne mirandum sic agendo interpretes nimis iniquos artis Aristophaneae iudices reddere lectores? Quemadmodum facetias indecoras, sic etiam in Socratem acerbitates amant exaggerare. [1])

---

1) Quo pervenerint effrenata studia, vestigia duplicis recensionis indagandi causa suscepta, plane ostendunt huiusce scaenae vexationes. Brevi in conspectu diversas virorum doctorum conclusiones

Tertio denique (vs. 735, cf. 695, 727) rogat Socrates agricolam, ut capite operto aliquid meditetur. — „*Περὶ τοῦ*" roganti Strepsiadi respondet philosophus: „dic mihi in quamnam primum incidere velis cogitationem (*αὐτὸς ὅ τι βούλει πρῶτον ἐξευρεῖν λέγε*)"

§ 4. Hucusque Strepsiades pertinaciter propositum suum urgebat, ut doceretur *τὸν ἀδικώτατον* tantum *λόγον* (vs. 657), *τὸν μηδὲν ἀποδιδόντα* (vs. 245), moraeque impatiens identidem asseverabat se nil curare ceteras disciplinas (vs. 656, 693), quas arbitrabatur ad usum numquam converti posse, quippe quas *γέρων ὢν κἀπιλήσμων καὶ βραδύς* (vs. 129) iam revera nimis difficiles esse expertus esset *λόγων ἀκριβῶν σκινδαλάμους* (130).

Comica igitur animadvertenda est oppositio inter eius pertinaciam ac ingenium indocile inceptique stultitiam. Iam vs. 738 sq. denuo in proposito suo acerrime perstantem se praebet rusticulus:

ἀκήκοας μυριάκις ἃ 'γὼ βούλομαι·
περὶ τῶν τόκων, ὅπως ἂν ἀποδῶ μηδενί.

Libet hic pauca inserere de sententiis primariis repetitis. Vitium est, saepe ab histrionibus et fabularum scriptoribus commissum, quod non semper id agunt, ut maiore cum vi animum spectatorum inducant ad *rei summam*, ad caput argumenti, ad sententias gravissimas. Si scriptor obliviscitur hic illic in memoriam revocare fabulae summam,

---

posuit Heidhuesius, quarum refutationi totum caput, cui titulus „*Das πέος - und das κόρεις - Motiv* (695—745)," consecravit.

	N I	N II
C. Fr. Hermann	722. 731—734.	723—726. 735—742. 727—730. 743 sqq.
Beer	723—730.	722. 731—745.
Fritzsche-Kock	700—705. 731—739. (Kock: „wahrsch.")	707—722. 723—730. 740 sqq.
Teuff.-Köchly-Büchel. . auch Witten	700—705. 731—739. 746 sqq.	694—699. 707—730. 740—745 (Büch. „wahrsch." 746 sqq.)

histrionum certe est sententiam gravissimam, in qua fere totum fabulae argumentum ac summa versatur, cum vi quadam lente pronuntiare. Etiam nunc idcirco solent, cum traditur fabula perdiscenda histrionibus, sententias primarias linea subnotare, ne histrio leviter atque raptim quasi minoris momenti eas recitans neglegentia sua prohibeat, quominus spectatores totum intellegant argumentum ac mente comprehendant. Et histrionem èt scriptorem meminisse oportet, quam propensa sit multitudo ad scaenas singulas observandas, cum, de summa parum curiosa, totius fabulae filum ac nodum quaerere omittat. Hac in re quoque Aristophanem se praebere rerum scaenicarum peritissimum, nemo negabit. Duplicis autem recensionis investigatores ad talia solent non attendere. Post Strepsiadis verba (vs. 116 sqq.):

ἢν οὖν μάθῃς μοι τὸν ἄδικον τοῦτον λόγον,
ἃ νῦν ὀφείλω διὰ σέ, τούτων τῶν χρεῶν
οὐκ ἂν ἀποδοίην οὐδ' ἂν ὀβολὸν οὐδενί,

gratissimae nobis sunt iterationes (cf. etiam vs. 239 sqq.). Talibus poeta èt multitudini prodest, qui intellegere argumentum cupit, et sibi ipsi, qui intellegi studet. Praeterea Strepsiadis pertinaciam illis sententiis repetitis quam luculentissime ostendit poeta. (Cf. de vss. 329 sq. p. 120 sq.).

Sed redeamus unde aberravimus. Concederemus Socratem a poeta perstringi iniuriaque affici, si post Strepsiadis verba (vs. 738 sq.) philosophus ipse rustico, non nimis diligenter probitatem curanti, auctor esset, ut falleret creditores. Nil tale autem occurrit: poeta hic quoque Socratem intactum relinquit. Omnino non pollicetur philosophus fore sua ope ut voti improbi compos fiat rusticus, sed neglectis fere Strepsiadis verbis ita iubet: *ἴθι νυν*

καλύπτου.[1]) Strepsiades ἐγκαλυψάμενος φροντίζων ipse ultro ac sua sponte in tres indicit γνώμας ἀποστερητικάς (vs. 730, 747). — Φαρμακίδα Θετταλὴν conducere poterat, cuius ope si lunam noctu e coelo deductam concluderet in capsa rotunda, speculi loco, usuras solvere non amplius cogeretur.

Deinde sponte sua excogitat rationem, qua accusationis literae obliterari possint; per vitrum enim „causticum" vel „ustorium" quod appellare velim (τὴν λίθον, τὴν διαφανῆ, τὴν ὕαλον, vs. 767 sq.) codicilli ceram liquefacere poterat, a scribae tergo ἀπωτέρω στὰς ὡδὶ (per gestum indicat) πρὸς τὸν ἥλιον.

Postremum Socrati roganti, quo pacto in iudicium vocatus averteret condemnationem, respondet:

φαυλότατα καὶ ῥᾷστ'·
εἰ πρόσθεν .... ἀπαγξαίμην τρέχων (778—780).

Omnia haec fraudulenta inventa ineptiarum innocuarum esse instar, quae neque Socrati neque philosophiae studiis ne tantulum quidem detrectare sibi sumant, quivis intellegit. Poeta talibus facetiis nihil aliud effici voluit nisi risum cachinnosque, quos Franco-galli vocant *le gros rire.*[2])

---

1) Si sic Socratis responsum (vs. 740 sqq.) interpretamur, opus minime videtur cum viris doctis (cf. Kockius, praef. p. 50, Teuffelius, in Philol. 1852, pag. 325 sqq., Naberus, Mnem. 1883, p. 320; Heidhuesius, qui refutare conatur scrupulos p. 23 sqq.) accipere hic suturam esse perspicuam, duplicis recensionis indicium.

2) Cum plerumque Aristophanes ex mea quidem sententia nihil aliud spectet quam cachinnos, non abs re videtur lectoribus in memoriam revocare quae venuste de risu effuso olim scripsit D. Nisardus (Histoire d. l. literat. française, 6ae edit. tome III p. 85 sq.): „Là où l'intérêt n'est que le plaisir de la surprise, l'effet doit être *le gros rire.* Mais le gros rire est-il donc si à dédaigner? Heureux le génie à qui il a été donné de l'exciter! heureux le spectateur qui se dilate au théâtre! Le rire délicat, ce rire de l'esprit, que provoque le ridicule finement exprimé, laisse une arrière-pensée triste et comme un arrière-goût d'amertume; le gros

Primum et secundum inventum, ingeniosum utrumque, Socrati placuisse videntur (εὖ γ', vs. 757, [1]) σοφῶς γε νὴ τὰς χάριτας, quod scholio invito rectissime Leeuwenius alii explicant per χαρίεν, festivum, vs. 773). Tertium contra philosopho minime gratum videtur (οὐδὲν λέγεις, 781, ὑθλεῖς, 783); nec mirum, qui enim magister discipulum tam stultam promentem audit cogitationem, iure suo indignatur eumque ad omnia esse ineptum putans, facile adducitur, ut, quid eo faciat desperans, institutioni imponat finem. Nil mirandum igitur, magistrum dicere:

ἄπερρ'· οὐκ ἂν διδάξαιμ' ἄν σ' ἔτι.

Strepsiades mirabundus, utpote qui valde sibi placuerit in excogitandis fallendi rationibus, magistrum reposcit rationem (vs. 784): τί δαὶ πρὸς τῶν θεῶν, ὦ Σώκρατες; Hic autem, veram reticens causam, nihil aliud habet dicere nisi:

ἀλλ' εὐθὺς ἐπιλήθει σύ γ', ἅττ' ἂν καὶ μάθῃς,

rogatque statim, ne contradicat aliquid discipulus:

ἐπεὶ τί νυνὶ πρῶτον ἐδιδάχθης; λέγε.

Rusticus, ad incitas redactus, tantopere animo est conturbatus, ut ne nomen quidem καρδόπου, qua cotidie olim utebatur, in memoriam revocare possit. Ex quo magister petit argumentum — sit iniustissime, omnia iniuste facta in comoedia movent risum! — rusticum esse ἐπιλησμότατον καὶ σκαιότατον γερόντιον, eumque abigit, exclamantem: „quid de me misero fiet? actum est de me, quoniam non didici

---

rire, que ne suit aucune réflexion, réjouit le coeur et fait circuler le sang. C'est une surprise de l'âme enlevée à elle-même; c'est comme une secousse involontaire qui fait tomber pour un moment de nos épaules le poids de la vie." En iudicium, patria, quae Rabelasium genuit, dignum.

[1]) Leeuwenius, Heidhuesium secutus, Socratem, vss. 757 et 773, „discipulum absurdissimas nugas proferentem *non serio* laudare" recte observat.

γλωττοστροφεῖν." Statim autem se colligens petit accipitque a Nubibus divinis consilium, in quo omnem denuo suam ponit spem.

Omnes nimirum rustici perturbationes animi cruciatusque, qui tamen efficere non possunt ut spem τὸν ἀδικώτατον discendi λόγον deponat, admodum suaviter afficiunt spectatores eosque ad summam adducunt exspectationem, quid adhuc sperandum, quid verendum sit de stulto rustici consilio. Sic rustici stultitia spectatorum attentionem a Socratis revocat persona.

CAPUT IV.

De Actu tertio (vs. 814—1130).

§ 1. In huius Partis capite I, § 3 (p. 76 sqq.) demonstrare sumus conati èt Chorum èt Socratem, eius administrum, id agere, ut rusticus ipsa experientia doctus suo errore levaretur. Sic igitur *spectatores, huiuscemodi opinionibus si forte erant obnoxii,* — quod non verisimile — *moveri poterant ut pravum illud de philosophis iudicium missum facerent.* Si cui hoc nondum probabile videtur, iam attendat ad id, quod Chorus rustico suadet ut pro ipso mittat filium (795 sq.), Socratem autem statim post instigat, ut nova hac utatur occasione agrestem quam maxime urgendi vexandique (805 sqq.). Quod Chorus et Socrates fraudulentas erga Strepsiadem agunt partes, libenter nimirum ignoscunt spectatores, sc. minime iniquum ducentes rusticum eo adduci a philosopho philosophiaeque patronis, ut in nassam incurrat debitasque ob iniustum de philosophia iudicium luat poenas.

Facile intellegitur rusticum, consilio Chori accepto, nihil intemptatum relinquere summaque ope niti ut filium perpellat ad dicendi et disputandi artes addiscendas. Minatur se eum domo extrusurum, si noluerit (vs. 802, 814, 815); irridet filium, quod *τηλικοῦτος ὢν τὸν Δία νομίζει*, qua irrisione pungi et incitari adulescentulum iure putat; — gratissimum videlicet est rustico, olim Iovis ultionem timenti, quod philosophorum sapientia iam deletum sit omnipotentis imperium molestum; itaque virum fraudu-

lentum ea sapientia uti velle ad creditores periurio fallendos, eamque sibi filioque cupere reservare (vs. 824), spectatores iam intellegunt —; asseverat deinde pater, omnem humanam sapientiam a philosophis disci posse (840 sq.), quin etiam ὡς ἀμαθὴς εἶ καὶ παχύς (842). Lepide hisce postremis verbis alludit poeta cum ad Socraticum illud γνῶθι σεαυτόν, tum ad rustici ipsius experientiam, quam, ut mox apparebit, celare filium non cupit pater. Se multa didicisse utilia (847 sqq.) probare conatur, exemplo usus vocis ἀλεκτρύαινα; se autem ὑπὸ πλήθους ἐτῶν omnium continuo esse oblitum confitetur, quare filium precatur ut sibi obtemperet, quemadmodum olim se filio balbutienti praebuerit obsequentem. Licet gravetur filius se tradere disciplinae, tamen morem gerere parat et quasi *praesagus mali* verba eloquitur, quae *pessimi ominis a spectatoribus* habentur, a rustico autem prae gaudio exsultante ne animadverti quidem videntur: „*te huius rei poenitebit*" (vs. 865).

Socratem, non tam bene de filio reluctante magistroque male precante (870) sperantem, hortatur Strepsiades, ne sit sollicitus: filiumque esse θυμόσοφον φύσει exemplis probat. Postremum facere non potest, quin denuo magistrum commonefaciat, quid institutionis *expetitae* (minimeque a philosopho oblatae) sit consilium, sc. ut illas addiscat filius ratiocinationes, *meliorem*, quae dicitur, et *peiorem*, si minus ambas, tamen utique *iniustam illam;* Socratemque discedentem adeo voce sequitur, quasi furore correptus ideoque movens cachinnos (vs. 887):

τοῦτό νυν μέμνησ', ὅπως
πρὸς πάντα τὰ δίκαι' ἀντιλέγειν δυνήσεται.

(Cf. quae diximus de iterationibus c. III, § 4, p. 156 sq.).

Sic perstare videmus Strepsiadem in suo consilio, licet tot difficultates deceptionesque obstare iam sit expertus. Quo pacto nunc philosophum se gerentem facit poeta?

Submittitne se Socrates rustici desiderio? Edocetne revera filium τὸν ἥττω λόγον? Minime gentium; parcitur a poeta magistro probo. Curandum sane erat, ne hoc quoque loco agricola falsa sua de philosophia opinione a Socrate levaretur, quia *rustici error totius fabulae est fundamentum.* [1]) Eam ob causam disciplina et institutione Socratem filio patrique oculos aperire non sinit poeta; nec magis autem facit Socratem, quem intactum cupit relinquere, docentem τὸν ἥττω λόγον. Quid tandem invenit ut utriusque rei habeatur ratio? Ingeniosissime filium auditorem fecit *disputationis*, duos inter oratores habitae, quorum alter defendit probam, alter pravam vivendi rationem. Quid porro? Quemnam exitum habere debebat illa disputatio? Si vinceret ὁ Δίκαιος ideoque filii favorem sibi compararet, ad irritum redigeretur patris prava cupientis spes consiliumque, actumque esset de eius errore, deque totius fabulae proposito, patris spectante paenitentiam. Curavit igitur poeta, ut vinceret ὁ Ἄδικος (vide Part. I, c. I § 5, pag. 38).

Alias esse causas, cur in comoedia nostra iure vincentem fecerit τὸν Ἄδικον, iam supra ostendimus (cf. Part. I, cap. I, § 1, 2, 4, p. 27 sqq.)

Socrati parcere voluisse poetam, etiam ex eo apparet, quod disputationi philosophus non interest. (ἐγὼ δ' ἄπειμι, vs. 887).

§ 2. Post utriusque Λόγου disputationem Socrates se eundem praebet placidum moderatumque magistrum atque antea. Quantum distant huiusce verba a Dissoluti oratione actuosa seditiosaque, quae rusticum, quem una cum filio

---

1) Ut poeta, cui maxime cordi erat, ut intellegeretur fabulae consilium, rerum summam etiam atque etiam a rustico fecit commemorantem repetentemque, sic nobis speramus fore ut nemo vertat vitio, nos semper eandem tundere incudem.

interfuisse altercationi necessarium duco,[1]) tanto incenderat studio tantaque imbuerat artis dialecticae admiratione, ut statim post certamen auditum Socrati roganti, utrum velit abducere filium an eum doceri cupiat disputandi artem, acclamet (vs. 1107 sqq.): *δίδασκε καὶ κόλαζε!* — nec tamen fervore ingenii cohibeatur quominus dicat quod sibi semper summa rerum:

καὶ μέμνησ' ὅπως
εὖ μοι στομώσεις αὐτόν, cet.

Respondet Socrates, quasi eius exspectationes dulcissimas expleturus: sis bono animo; recipies eum argutatorem probum (*ἀμέλει, κομιεῖ τοῦτον σοφιστὴν δεξιόν.*)

Phidippides contra, qui, quamvis *εὐμαθὴς* et *θυμόσοφος* (vs. 877), nihil curat disciplinas ideoque quam maxime diversus est a patre, qui licet sit *δυσμαθής* tamen per totam fabulam praebet se *φιλομαθῆ*, sui nimirum commodi causa, — Phidippides ille satis morosus mussitat (magis enim scurrae cordi est cutis color quam sapientia!):

ὠχρὸν μὲν οὖν, οἶμαί γε, καὶ κακοδαίμονα.

Ut vs. 865 Phidippides, sic nunc Chorus vel *κορυφαῖος* mali ominis verba eloquitur, spectatoribus futurae calamitatis praenuntia (vs. 1113 sq.):

οἶμαι δέ σοι ταῦτα μεταμελήσειν.

§ 3. Sequitur bellum festivumque Chori canticum (vs. 1115—1130), in quo Nubes se praebent deas ambitiosas satis spectatorumque favorem ac benevolentiam quaerentes, utpote mulieres, quibus ut placeant viris est curae. Tam modestis autem precibus adeunt spectatores, tantaque cum venustate iis promittunt se fore propitias benevolasque, dummodo sibi dentur debiti honores, tam lepide contra

[1]) Hac in re Heidhuesio assentior (Ueb. d. Wolken des Arist. p. 12 sqq.)

minitantur se, laudem si non accipiant, eos vexaturas, ut certo certius esse dixeris eas ipso faceto cantico spectatorum animos sibi conciliasse.

Apparet ex hocce cantico poetam Nubium Chorum spectatoribus minime reddere voluisse invisum sed gratum acceptumque. Habemus igitur novum argumentum, quo probemus poetae non fuisse curae Socratem eiusque fautrices representare tamquam odio dignissimos. Quod si voluisset, a spectatoribus non petivisset erga deas Nubium favorem. Concedimus h. l. Chorum se non praebere *philosophiae* fautrices, sed pluviae grandinisque auctores divinas; atqui minime oportebat poetam eadem nebulosa numina aliam ob facultatem laudare, ob aliam autem vituperare. Praeterea in fabulae fine aperte exsistunt fraudium ultrices, perque totam fabulam Strepsiadis adversariae imaginem prae se ferunt dearum, quae id agunt, ut vanarum rerum studiosus, postquam in errorem corroboraverunt, ipsa experientia doctus ad meliorem se recipiat frugem, propter quod non mediocrem spectatorum laudem atque favorem eas sibi conciliasse, facile intellegimus.

CAPUT V.

De Actu quarto (vs. 1131—1320).

§ 1. Suspenso sollicitoque animo, cum iam prope adsit dies, quem vocant ἕνην τε καὶ νέαν, Strepsiades solus in scaenam prodit, secum reputans, quot dies adhuc sint, sibique iam fingens animo, quomodo omnes creditores se in ius sint vocaturi funditusque pessumdaturi; eos ne modicis quidem et iustis suis precibus „ut partem nunc non capiant, partem differant exigere, partem remittant" auscultaturos, quoniam numquam οὕτως ἀπολήψεσθαι pecuniam (immerito sane!) sint suspicaturi; eos deinde sibi conviciaturos, iniustum se esse dicentes, nomenque suum delaturos. Attamen quid moratur delationes, quandoquidem filius dicendi addidicit artem. Inter spem et metum suspensus, pulsat Scholae ostium.

Hoc loco denuo observare libet, fieri non posse quin cavea rusticulum nostrum unice summa attentione habeat dignum, utpote inde ab initio fere fabulae inter spem metumque versantem, ob ridiculum ac stultum creditores fallendi consilium multas patientem sollicitudines deceptionesque. Praebet sese nobis poeta et hic comoediarum scribendarum usus ac τῆς κωμῳδοδιδασκαλίας peritissimum. Optime enim brevi ante catastropham facit rusticum iterum sollicitudines spesque suas exponentem, ut cavea postremum ad totius fabulae filum contextumque attendat eaque,

quae statim post sint eventura, uni Strepsiadis attribuat errori stolido.

Postquam saccum, farinae plenum, magistro obtulit, quo dono, iam vs. 669 ob illius *ἀλεκτρύαινα* vocis *δίδαγμα* promisso, gratum suum erga praeceptorem animum ostendit et huiusce benevolentiam astute colere studet, rogat philosophum (vs. 1148):

καί μοι τὸν υἱόν, εἰ μεμάθηκε τὸν λόγον
ἐκεῖνον, εἴφ', ὃν ἀρτίως εἰσήγαγες.

Quid nunc oportet respondere Socratem? Poeta nimirum, fabula semel disposita obstrictus, nihil aliud potuit fingere magistrum respondentem nisi: *μεμάθηκεν* (vs. 1150), cui dicto Strepsiades libenter habet fidem. Nec magis serio loqui magistrum, intellegunt spectatores, cum addit:

ὥστ' ἀποφύγοις ἂν ἥντιν' ἂν βούλῃ δίκην,

et cum rustico, nondum de salute sua satis securo ideoque roganti:

κεἰ μάρτυρες παρῆσαν, ὅτ' ἐδανειζόμην;

respondet magister:

πολλῷ γε μᾶλλον, κἂν παρῶσι χίλιοι.

Id egit poeta, ut ante catastropham Strepsiadem ostenderet spectatoribus quam maxime laetitia exsultantem insolentiusque se iactantem erga creditores. Sic enim laetitiam et frustrationem, quae mox sequitur, quam maxime inter se opponens, effectus comicos reddit splendidiores, caveaeque summam movet attentionem — non in Socratem, ad quem ne attendunt quidem spectatores, sed unice in eum, qui primas agit partes, nempe in rusticum stultum.

Orditur Strepsiades canticum *ἀπὸ σκηνῆς* laetissimum (vs. 1154—1164), in quo iterum fabulae fundamentum exprimitur, Strepsiadis vota et iam laetitiae causae:

βοάσομαι τἄρα τὰν ὑπέρτονον
βοάν. ἰώ, κλάετ' ὠβολοστάται, e. q. s.

Ecquis dubitat, quin spectatores perspiciant rusticum, vana spe obstrictum, èt a Socrate èt a Choro data opera tantopere esse illaqueatum, ut iam ad summam pervenerit alacritatem audaciamque?

Ut in tragoediis saepissime occurrit εἰρωνεία quae dicitur *tragica*,[1]) sic in comoedia nonnumquam idem fere adhibetur adiumentum, quo comicae efficiantur condiciones rationesque. Quae spectatores perspiciunt, quaeque insuper ab aliis personatis nutu vel verbo[2]) spectatoribus significantur, ex iis nihil quidquam suspicatur is, qui errore aliquo est occaecatus, quemadmodum Strepsiades noster.

Post canticum rogat rusticus magistrum, ut filium foras ad se evocet; impatiens autem morae[3]) statim ipse clamare coepit (vs. 1162):

ὦ τέκνον, ὦ παῖ, ἔξελθ' οἴκων.
ἄϊε σοῦ πατρός.

---

1) Liceat de *tragica* illa *ironia* nonnulla exscribere, quae leguntur apud v. d. A. E. Haigh (the tragic Drama of the Greeks, 1896, Sophocles, Ch. III. § 8: The Irony of Sophocles p. 174); simili enim fere modo ironiam adhiberi in comoediis, nostra fabula inprimis docet. „The use of 'tragic irony', as it has been called, is a favourite device in all dramatic literature. It is mostly employed when some catastrophe is about to happen, which is known and foreseen by the spectators, but concealed either from all, or from some, of the actors in the drama."

2) Quae ab histrione vel Choro ad spectatores solum dicuntur vel significantur, huius generis ironiae inserviunt.

3) Coniecit v. cl. Van Leeuwen Socratem post 1164 domum abire, saccum auferens, statim autem post redire comitante Phidippide. Hoc minus congruere arbitror cum poetae consilio, quippe qui per totam fabulam, quin etiam ἀεροβατοῦντα, Socratem magna cum gravitate fecerit agentem ac loquentem, ut magistrum probum ac severum, praesertim erga rusticum, decet. Sic oppositionem, rebus comicis necessariam, hoc loco flagitare dixerim, ut nobis fingamus Socratem, qui post vs. 1147, ubi offert agricola saccum farinae, ne gratias quidem agit, neque statim rustico, iubenti κάλεσον τρέχων (vs. 1164), morem gerere, neque saccum famuli instar auferre.

E meditaculo prodeuntem magna cum gravitate designat Socrates: ὅδ' ἐκεῖνος ἀνήρ, ecce ille noster vir doctus; patrique, filium amplectenti, dicit:

ἄπιθι λαβὼν τὸν υἱόν.

Deinde abit Socrates. Ex eo, quod hoc loco iam finis imponitur Socratis partibus — in fabulae exitu, vss. 1502 et 1504, duae tantum adhuc Socratis exclamationes audiuntur — denuo apparet, Strepsiadem primas agere partes, totiusque fabulae esse principem. Sequuntur etiam 330 versus, in quibus nobis pinguntur rustici consilii stulti eventus et consequentia. Quid opus esset poetae tam accuratam praebere rustici indolis, consilii, incommodorum imaginem, si ei tantum curae fuisset ut Socratici eorumque disciplinae perstringerentur. Si hoc voluisset poeta, Socratem ipsum vanae alicui opinioni obnoxium, erroribusque obstrictum spectatoribus ostendere oportebat.

§ 2. Pergit Strepsiades laetitiam suam effusam significare, cum videt filii colorem pallidum, faciem ἐξαρνητικὴν καὶ ἀντιλογικήν, cui illud ἐπιχώριον ἀτεχνῶς ἐπανθεῖν iam sibi fingit pater: τὸ τί λέγεις σύ; καὶ δοκεῖν ἀδικοῦντ' ἀδικεῖσθαι καὶ κακουργοῦντ' εὖ ποιεῖν. 1)

Quod denique iam habet filius ex patris opinione *Atticum adspectum*, rusticum maximo gaudio afficit. Apparet iterum patri non filii eruditionem cordi fuisse, sed τῶν δικανικῶν usum exercitationemque, quae in pravum unice adhiberen-

---

1) Bentlei coniectura εὖ ποιεῖν, quam Leeuwenius recepit, sine dubio magis placet quam codicum οἶδ' ὅτι. Animadvertendum est ex patris opinione vultum filii simul prae se ferre insolentiam summam atque innocentiae τοῦ μὴ ἀδικοῦντος speciem, quae duae se gerendi rationes inprimis ab eo sunt adhibendae, cui, ut Strepsiadi patri, societatis commoda nil curanti, ipsius iura commodaque tantum sunt cordi.

tur. Unusquisque spectator facile intellegebat, absurdam esse Strepsiadis pertinacem opinionem, Socraticos τὴν δικανικὴν eo consilio τὸν τυχόντα docere, ut hic quam insolentissime se in iudiciis gerere posset. Cave accipias hancce bruti sententiam tamquam si ipsius poetae de Socrate fuerit iudicium. Pone comicas oppositiones poetae personam celari, hic denuo est observandum.

Qua tandem in re consistit huiusce ad filium allocutionis vis comica? In eo, nisi fallor, quod, dum filium vident spectatores prorsus immutatum, patrem laetitia atque admiratione tam esse occaecatum perspiciunt, ut filii vultui attribuat colorem ac lineamenta, quae ipse animo furibundo tantum sibi fingat, sic quoque denuo stultam spem suam ostendens. Quid igitur ridetur? Et hic et passim per totam fabulam risum movet patris fanaticus τοῦ ἀκαταβλήτου λόγου (1230) ardor, τοῦ μηδὲν ἀποδιδόντος (245), τοῦ προσώπου ἐξαρνητικοῦ καὶ ἀντιλογικοῦ, i. e. revera Ἀττικοῦ, vehemens amor, eiusque γνωμῶν ἀποστερητρίδων (730) desiderium, τοῦ στρεψοδικῆσαι καὶ τοῦ τοὺς χρήστας διολισθεῖν (434) consilium vesanum. In ipso Strepsiade irrideri cunctorum Atheniensium fanaticum artis dicendi litigandique studium, vix est quod moneam (cf. vs. 1176 et huius disput. p. 39, 42 sq., 56 sq.).

Atqui nonne fingitur Socrates filium docuisse artem τοῦ δοκεῖν ἀδικοῦντ' ἀδικεῖσθαι? Sic sibi rem fingit pater ob Socratis responsum (vs. 1150). Sentit autem spectator Phidippidem quidem ipsum institutione Socratis prorsus non esse mutatum, patris autem de filio iudicium exspectationesque provenire ex ipsius ardentis animi permotione, mentisque caecitate, cui mederi conantur et Socrates et Chorus.

Omnem iam spem collocat pater in filii dexteritate (vs. 1177):

νῦν οὖν ὅπως σώσεις μ', ἐπεὶ καὶ ἀπώλεσας.

Ne nunc quidem voluit poeta rustici errorem dissipari verbis filii; nec mirum, primum enim oppositio patrem inter et filium denuo facetiarum praebet seriem -- ad quam rem in comoedia inprimis est attendendum —; deinde rusticum, qui non facile prae sua contumacia nisi ipsius incommodo ac damno *doceri* poterat, calamitate aliqua corrigendum esse censuit. Filium igitur, quem pater invitum coegerat ut addisceret τὸν ἀδικώτατον λόγον, proposuit, non dico cum Socrate Choroque de industria conspirantem, sed quasi fato designatum, ut patri oculos aperiret, non tantum *verbis*, sed inprimis *verberibus* acerbis. Ratiocinationes nihil valere in rustici contumaciam, optime perspexit poeta, lepidissimeque fecit patrem ipsius τοῦ tam desiderati λόγου τοῦ ἀδίκου ludibrium victimamque. Nullum spectatorem Phidippidem revera habuisse pro „sophistarum alumno" [1]) — mihi persuasissimum habeo. Qui aliter iudicaverunt, eodem modo atque Strepsiades in errorem inducti esse mihi videntur.

Φοβεῖ δὲ δή τί; rogat filius. Respondenti Strepsiadi: τὴν ἕνην τε καὶ νέαν, probat, fieri non posse ut unus dies simul sit vetus ac novus; nihil igitur timendum, quoniam talis non exstet dies. Non satis intellegit rusticus pro sua fatuitate. Quare exemplo luculento rem illustrat filius: qui potest mulier simul esse et anus et puella. Nondum securus contendit Strepsiades lege esse institutum.... Interpellat eum filius, omni metu eum liberare studens, dicitque: homines non recte intellegere, quid sibi velit lex, quam a Solone eo consilio institutam esse perhibet, ut novae lunae die demum deponerent litigantes pignora,

---

1) Sic e. gr. filium nominat v. cl. Van Leeuwen (ad vss. 1189—1191). Bode (Gesch. d. Dram. Dichtk. d. Hellenen Vol. III, part. II, p. 325) patrem et filium vocat *zwei Zöglinge der Denkanstalt*.

ultimo autem mensis die ad rem componendam haberent occasionem. Strepsiadi roganti, cur magistratus non ipso novae lunae die sacramenta accipiant sed pridie, i. e. *ἕνῃ τε καὶ νέᾳ*, respondet Phidippides eos gulosos tamquam sacrarum epularum praegustatores lucro inhiantes quam celerrime exigere sacramenta. Subito omnia rustico videntur in clara posita luce. Exspectamus exclamationem huiusce fere generis: „quam stulte in fraudes solemus delabi!" Intellegere enim rusticum dixeris populi — ergo èt ipsius — credulitate summam èt sacerdotum èt magistratuum niti potentiam (cf. Part. I, c. II, § 5: nôtre crédulité fait toute leur science). Verum enim vero ad summam sui fiduciam insolentiamque cum iam adscenderit, et quasi voti compos cum se non amplius litibus posse implicari sed semper causam se obtenturum persuasissimum habeat – ipsum quidem se ex stultorum numero eximit, utpote, perinde ac magistratus isti, artis decipiendi, *τοῦ ἀδικωτάτου* ope *λόγου*, gnarus. Ideo miserrimus homo ac vesanus populi fraudatoribus illis iam parem se esse gloriatus, simulate miseretur omnium eorum, qui *τοῦ ἀδίκου λόγου* non sint periti; revera autem eos irridet exclamans (vs. 1201):

εὖ γ'. ὦ κακοδαίμονες, τί κάθησθ' ἀβέλτεροι,
ἡ μ έ τ ε ρ α κέρδη τ ῶ ν σ ο φ ῶ ν ὄντες, λίθοι,
ἀριθμός, πρόβατ' ἄλλως, ἀμφορῆς νενησμένοι;

Quam acute ac subtiliter poeta sagax auditorum animos advertit ad diversos civium errores et fraudes et cupiditates! Decipiuntur cives, idque iis vitio vertit is, qui ipse alios decipere in animo habet. Decipere dicuntur magistratus (*ἀρχαί* vs. 1197), sacerdotes (*προτένθαι*, 1198), sophistae (penes quos secundum Strepsiadem *ὁ ἄδικος λόγος*), idque laudantem facit poeta eundem nostrum rusticum mente quasi alienatum eoque *τραγικώτατα* ridiculum (cf. P. I, c. I, § 1). Sic totam civitatem perturbatam, totum

mundum sursum deorsum versum libenter Aristophanes pro sua procacitate spectatoribus ostendit, eosque adducit ut ad ipsorum societatisque vitia attendant animum. Omnium harum fraudium errorumque Sophistas vel Socraticos auctores esse ne in mentem quidem venire ulli spectatori potest. Est Strepsiades, qui inprimis ob propriam stultitiam nequitiamque ridetur, sua ipsius persona totius populi quodammodo praebens imaginem.

Didiceratne revera Phidippides illam de ἕνῃ τε καὶ νέᾳ doctrinam a Socrate? Credit pater nimirum, qui nondum suo errore est liberatus. Creduntne spectatores? Habentne sibi persuasum talem vocabulorum ἕνη τε καὶ νέα explicationem, cuius absurditatem ipsi statim intellegunt, revera ex intima philosophorum provenire persuasione, aut — si mavis — tali argumentationis exemplo totum philosophiae studium cognosci posse? Fieri non potest. Sciunt enim èt Socratem èt Chorum èt filium id agere, ut rusticus prava sua consilia supplicio expiet, sciunt filii explicationem nihil aliud spectare nisi ut magis etiam illaqueetur pater. Facete esse inventum, quod perhibet filius, intellegunt; aequum fore si daretur litigantibus tempus rei componendae gratia, sentiunt. Nil autem ad rem pertinet, utrum sibi fingant Socratem forte fortuna eam doctrinam falsam paulo ante filio insusurrasse an ipsius filii festivissimum esse mendacium opinentur. Ad explicationis consilium unice attendunt spectatores. Philosophiam ipsam eo fortasse paululum perstringi, quod Phidippides fingitur a Socrate eam disputandi rationem didicisse, en quod minus tangit spectatores, qui non ridere solent res personasve, quae merito occaecatum aliquem maiore etiam errore implicare student, sed illaqueatum ipsum.

Summa laetitia exsultans canere coepit pater carmen, in quo se ipsum ob propriam sapientiam filiique doctrinam

beatum praedicaturos èt amicos èt populares, invidiae nimirum plenos, praedicit, ἡνίκ' ἂν σου (sc. filius) νικᾷς λέγων τὰς δίκας. Deinde grato animo carissimum filium, quem minime esse sincera fide erga patrem occaecatum spectatores suspicantur (vs. 865), ante omnia instituit ἑστιᾶσαι.

§ 3. Cum τοῦ ἀκαταβλήτου λόγου scientia prorsus instructum putet filium (vs. 1228 sq.) — magister enim ipse affirmavit (vs. 1150), filiusque iam praebuit patri eruditionis specimen! — cumque se ipsum armatum credat pater sapientia aliqua haud aspernanda (de Iove, de vocibus ἀλεκτρύαινα et κάρδοπος, de nubibus), omnino securus τῇ ἕνῃ τε καὶ νέᾳ, qui dies iam adest, creditoribus Pasiae et Amyniae resistere posse sibi videtur Strepsiades. Poetae consilium non fuisse ut perstringeret philosophos eorumque studia, luculenter etiam apparet ex eo, quod post filii specimen eruditionis Strepsiadem ipsius sorti committit neque, ut exspectamus, filium patri facit contra creditores opitulantem. Praeterea rem sic instituendo poeta rustici condiciones magis accommodatas fecit oppositionibus comicis. Sciebat enim cavea Strepsiadem aeque fere esse τοῦ ἀδικωτάτου λόγου expertem atque fabulae initio, iam autem vident eum admodum arroganter de se sentire, sibique videri tam eruditum, tamque callidum ad fraudes, ut se sine ullo auxilio facile creditoribus ante causam ipsam resistere posse arbitretur. Comica igitur iam est oppositio inter rustici arrogantiam et veram ipsius condicionis naturam, inter speciem et veritatem, cuiusmodi oppositio per totam fere fabulam, ut vidimus, omnis generis facetiarum fons est habenda. Accedit in hisce scaenis alia oppositio comica, videlicet rusticum iniquum inter et creditores, qui iusta postulantes inferiores discedunt, debitoris audaciae insolentiaeque, quibus rustici compensantur inscientia stoliditas-

que, minime pares. Porro ex eo, quod creditores sua vice minime intellegunt, qua re nitatur rustici audacia, spectatores contra id habent cognitum, efficitur omnia dicta et responsa facile movere risum ob errores, in quos a rustico vicissim inducuntur creditores. Vincit igitur in hisce scaenis iniustitia nequitiaque, sed — qui iniustum se praebuit post creditores abactos gaudio triumphaturum ne credideritis. Postquam Amyniam profugientem minis est prosecutus, domumque intravit, Chorus canere coepit illa mali ominis verba (vs. 1303):

οἷον τὸ πραγμάτων ἐρᾶν φλαύρων e. q. s.

Rogamus, num spectatoribus, dum tam variis comicis oppositionibus moventur attentio risusque, tempus sit relictum, ut cogitent de Socrate eiusque philosophia, ad quam lector, Socratis amantissimus, unice solet attendere, praesertim quia inter legendum difficile est semper vim comicam ipsam satis aestimare.

Utramque scaenam, de qua agimus, non solum ob varias oppositiones caveae placuisse verisimile est, sed etiam aliam ob causam, ad quam lector fortasse non magis solet attendere. Volo ipsam iniustitiae audaciaeque victoriam. Itaque si cui videatur poeta diutius quam par erat moratus esse in depingendo effectu sapientiae illius, ἀκαίρως a rustico acquisitae, meminerit ille, quaeso, caveam, inprimis ultimam, admodum delectari, cum in pulpito impudenter aliquem videt mentiri vel astute ac dolose furari vel occulte furta ligurrire vel ut hic insolenter negare se pecuniam mutuam redditurum. Aristophani hoc notissimum fuisse, probare opus non erit; scimus enim omnes, quam saepe acerbissimam omnium vitiorum μίμησιν spectatoribus obtulerit, non ut irascerentur, sed ut riderent.[1]) (Cf. Part. I,

---

[1]) Facetissimum quoque poetam Franco-gallicum talis vitiorum

cap. I, § 2). Ex talibus apparet, ut equidem arbitror, mortales innatum libertatis absolutae studium, societatis ergo refrenatum, libenter ad exiguum tempus frenis liberatum sibi fingere, dum nemini sit damno (cf. quae in Prooemio diximus de terra fabulosa nec non Mülleri Strübingii verba, quae Latine reddidimus p. 110).

§ 4. Iam videamus de scaenarum festivissimarum rebus singulis.

Pasias in scaenam prodit (vs. 1214). Spectatores ipse, utpote persona nova ac ignota, docet, quis sit, quid sibi velit. Paucissimis verbis, quod decet artem comicam, poeta eius indolem probam consiliumque aequum adumbravit. Pecuniam mutuam olim amico, ad incitas redacto, denegare noluit; melius fuerat tunc misericordiam compressisse frontemque perfricuisse et deposuisse pudorem quam populari amico nunc se praebere inimicum. Perspicuum est idcirco poetam creditorem proposuisse nobilis ingenii virum, ut oppositio inter fraudulentum rusticum ac creditorem probum, comicorum effectuum gratia, quam maxima sit. Quibusnam nunc utitur rusticus argumentis, ut arceat creditorem? Pasiam, dicentem quo consilio veniat, sc. ἐς τὴν ἔνην τε καὶ νέαν..., interpellat, spectatores contestando (vs. 1221 sq.):

μαρτύρομαι
ὅτι ἐς δύ' εἶπεν ἡμέρας.

Nihili hoc esse argumentum, sentit cavea. Pasias se nil intellegere gestibus et vultu significat. Roganti rustico: „τοῦ χρήματος;" in memoriam revocat, eum ad emendum equum pecuniam mutuam sumpsisse. Et hoc verum esse

imitationis vim comicam expertum fuisse, supervacaneum est dicere. In mentem venit Cleanti Angelicaeque fraudium (Le malade imaginaire Acte, II, scène I, II, III cet.).

èt Strepsiadem optime id scire, caveae est notissimum. Nihilominus spectatoribus utitur testibus ad probandum absurdum id esse, quod contendat ille Pasias: „quid tandem sibi cum equo rei esse, cum omnes sciant se odisse rem equestrem!" Revera id sciunt spectatores, perspiciunt autem tale argumentum nil valere ad creditores effugiendos. Denuo creditor aspicit, admiratur, stupescit. Praesentit cavea hunc, licet habeat *τὸν κρείττω λόγον, τῷ ἥττονι* esse succubiturum. Rident spectatores ob rustici fallacis dexteritatem, quae iis quasi grata et accepta est (cf. quae diximus § 3 h. c.). Deridetur contra creditor probus, cui verba dantur. En iterum in theatro totus civitatis ordo funditus eversus.

Vident ipsi spectatores, quantum valeat *ὁ ἥττων λόγος!* vel potius tria illa oratoribus necessaria (vs. 637 Equit.): *θράσος, γλῶττα εὔπορος, φωνὴ ἀναιδής*[1]) (cf. Part. I, cap. II, § 5, pag. 49). Scit cavea, Strepsiadem *τὸν ἥττω λόγον* a Socrate *non* didicisse, nempe vidit eum a Socrate abigi (vs. 783 sqq.). Concedo agricolam argumentum suum filio debere, filiumque ex patris opinione philosophorum esse alumnum; verum enim vero ex mea quidem sententia nullus non spectator intellegit, ut talia aliquis absurda promere valeat argumenta, opus non esse eum frequentasse philosophos. Eiusmodi ineptias, si accipis eas a philosophis revera doceri, in vita cotidiana civitatis commodo minime posse nocere dixeris. Fieri igitur non potest, ut tales innocuas ratiocinationes impugnare voluerit comicus noster.

Commonefacit porro Pasias rusticum iurisiurandi: *ἀποδώσειν γ' ἐπώμνυς τοὺς θεούς.* Hic exspectamus tale fere Strepsiadis responsum: „Cum per deos iuravi, nondum sciebam deos omnino non esse." Respondet autem *prius:*

---

1) Ultimum si hoc loco excipere velis, per me licet.

„nondum tunc Phidippides doctus erat τὸν ἀκατάβλητον λόγον." Ex hoc responso efficitur vocem ἀποδώσειν a Pasia maiore cum vi esse pronuntiandum. Idcirco poeta, ut mihi videtur, hoc eum fecit respondere, ut verba festivissima addere posset rusticulus:

τί γὰρ ἄλλ' ἂν ἀπολαύσαιμι τοῦ μαθήματος;

Novum iusiurandum cum se flagitaturum minitatur Pasias, irridet eum rusticus rogatque, per quosnam deos sibi sit iurandum, utpote qui Iovem, Mercurium, Neptunum deos esse non credat (cf. quae de diis diximus P. I, c. II, § 5, p. 52). Iurat deinde ipse Pasias per Iovem et alios deos, rusticum non impune abiturum. Iratus est, quod a Strepsiade ludibrio est habitus; hic enim Pasiae ventrem cum ἀσκῷ comparare est ausus. Pro sua insolentia dicit Strepsiades (vs. 1240):

θαυμασίως ἥσθην „θεοῖς,"
καὶ Ζεὺς γελοῖος ὀμνύμενος τοῖς εἰδόσιν.

Tam audax deorum contemptor, nimia sui aestimatione elatus, necessario meritas dabit poenas. Id praesentit cavea, creditoremque insuper audit dicentem (vs. 1242):

ἦ μὴν σὺ τούτων τῷ χρόνῳ δώσεις δίκην.

Instat Pasias ut Strepsiades utrum velit decernat, pecuniam reddere necne. Lepide respondet: „paululum tranquille attendas, statim tibi dicam."

Dum abit, ut afferat mactram, Pasiam nimirum spes tenet fore ut pecuniam petat debitor. Rediens rogat Strepsiades, quid sit, quod attulerit. Κάρδοπον dicentem Pasiam contemptu dignum habet rusticus, valdeque miratur talem virum illiteratum tam esse audacem, ut repetat pecuniam suam, quare ἀπολιταργίζειν eum iubet. Per se intellegitur hic non rideri Socratis de voce κάρδοπος doctrinam, sed stultitiam Strepsiadis, adhibentis scientiam et per se ineptam neque huic tempori accommodatam.

Specie tantum atque in tempus quoddam vicit rusticus; dicit enim Pasias (vs. 1254):

ἄπειμι, καὶ τοῦτ' ἴσθ', ὅτι
θήσω πρυτανεῖ' ἢ μηκέτι ζῴην ἐγώ.

Attamen nil timendum sibi credit pater, quoniam filius *τοῦ ἀδίκου λόγου* sit peritissimus. Falsam esse hanc patris opinionem, perspectum habet cavea. Dum rusticus, misericordia in Pasiam quasi permotus, secum reputat quam *εὐηθικῶς* dixerit creditor *τὴν κάρδοπον* — est animadvertendum quam scite ac festive poeta intervallum inter Pasiae abitum et Amyniae introitum suppleverit — in scaenam *οἰμώζων καὶ θρηνῶν* prodit alter creditor Amynias.

Ne ea quae sequitur scaena prorsus eiusdem videretur farinae atque praecedens, novis inventis poeta eam instruxit, quemadmodum decet auctorem, ingenii egestate ut par est minime laborantem. Duae res inprimis tangunt animum. Pasias erat rusticus, Strepsiadis olim popularis (vs. 1219), illiteratus, pinguis ac corpulentus, *ἀσκῷ* similis; Amynias contra videtur oppidanus, rei equestris studiosus, tragoediarum haud ignarus (vs. 1264 sq.). Pasiam initio scaenae pungit, quod amicum in ius vocare se videt coactum (vs. 1219); Amyniam eiulantem ac lamentantem videmus in scaenam prodire, non debitorem miseratus, sed quia modo e curru deiectus ob vulnera ac contusiones doloribus est conflictatus. Quia tam male sese habet, sperat creditor fore ut Strepsiadem sui misereat isque pecuniam, filio mutuam datam, reddat. Duas igitur ob causas *κακῶς πράττει* Amynias, festiveque poeta utraque causa sic utitur, ut vis comica oriatur ex observationum ambiguitate, quas profert Strepsiades, uti et ex erroribus, in quos debitor inducitur, quid spectet rusticus, lapsum an

pecuniam, incertus. Cum Amynias suam reposcit pecuniam (1267 sqq.), dicit Strepsiades (1271):[1])

κακῶς ἄρ' ὄντως εἶχες, ὥς γ' ἐμοὶ δοκεῖς,

de industria in medio relinquens, quid spectet. Suspicatur autem creditor rusticum voluisse curruum lapsum, amicumque misericordia esse permotum; respondet igitur: ἵππους ἐλαύνων ἐξέπεσον.[2]) Ληρεῖν creditorem tamquam si ab asino deciderit, opinatur agricola.[3]) Quae vox licet ambigue sit dicta, nunc accipit Amynias quasi solum pertineat ad ipsius postulationem (vs. 1274):

λήρῶ, τὰ χρήματ' ἀπολαβεῖν εἰ βούλομαι;

---

1) Immerito m. i. viri docti huius versus ambiguitatem neglegunt. Annotat Leeuwenius: „Neglectis Amyniae verbis utpote delirantis '*graviter profecto*' Strepsiades ait '*laborare mihi videris.*'" Blaydesius: „male igitur revera tibi est" sc. cum filio mutuam dederis pecuniam. Schütz (1821): „sane igitur (tum quum filio meo pecuniam credebas) male rem gerebas (quia haec pecunia nunquam ad te redibit)." Kockius: „εἶχες — als du das Geld borgtest." Scholiastes non magis ad ambiguitatem attendisse videtur: κακῶς ἄρ' εἶχες, διὰ τὸ ἄνω εἰρηκέναι ἰώ μοί μοι, καὶ ἀνὴρ κακοδαίμων, ἐπήγαγε τὸ ὄντως.

2) Dissentiunt viri docti de huius versus (1272) significatione. Annotat Godofredus Hermannus: „Illud recte Scholiastes: ἅμα δὲ καὶ αὐτὸς ἱπποτροφῶν ἐδυσπράγησεν. Nam quod dicit Amynias, ἐξέπεσον, intelligi vult τῶν χρημάτων: sed Strepsiades ut proprie dictum accipit."

Teuffelius, qui ultima haecce refert, addit tamen: „nisi idem voluerit etiam Amynias." Kockius eadem Hermanni verba laudat, nihil autem addit. Optime Leeuwenius: „Aliena hinc est altera verbi ἐκπίπτειν significatio *bonis excidere, spe frustrari*, quam multi tamen editores hoc quoque loco ei tribuerunt, scholiastam dum sequuntur mire obscurantes verba simplicia perspicua festiva."

3) Non magis consentiunt viri docti de proverbio ἀπ' ὄνου πεσεῖν (καταπεσεῖν). Godofredus Hermannus amphiboliam, quae e literarum soni similitudine oritur, non admittit, contendit enim: „etsi iam Scholiastes et Suidas v. ἀπ' ὄνου et ληρεῖς hanc ambiguitatem commemorant, tamen a proverbio ea aliena est, praesertim quum etiam absque isto lusu litterarum eadem huius proverbii sententia

Contendit deinde rusticus ne spem quidem convalescendi creditori esse relictam, quippe cui cerebrum concussum videatur. Huius opinionis ambiguitas denuo spectatoribus apparet. Amynias autem ipsius lapsus quasi oblitus, cum ei pecunia quam maxime sit cordi, irascitur dicitque (vs. 1277):

σὺ δὲ νὴ τὸν Ἑρμῆν προσκεκλῆσεσθαι γ' ἐμοί (sc. *δοκεῖς*).

Hucusque Strepsiades absque omni doctrina, e Socraticorum Schola desumpta, creditori restitit. An credendum est rusticum a Socrate didicisse illam de tragoediis scientiam? Mirum in modum brutus noster satis poeseos videtur peritus, ut interdum *παρῳδεῖν* valeat poetarum sententias (cf. 335 sqq.). Audita Chori voce (vs. 319 sqq.)

---

sit, quae distracto vocabulo *ὄνου* nascitur." Quare v. d. in Plat. Legg. III p. 701 C non *τὴν τελευταίαν περιττᾷ ἀπο νοῦ λέγων* (vide scholion ad nostrum locum), sed legit *ἀπό τινος ὄνου πεσεῖν*. Hauptius, quem Kockius sequitur, ita: „Die Annahme eines Wortspieles *ἀπ' ὄνου* und *ἀπὸ νοῦ* ist ganz unzulässig, da man wohl sagen kann *ἀπ' ὄνου πεσεῖν*, aber nie gesagt hat *ἀπὸ νοῦ πεσεῖν*. Teuffelius contra annotat: „In ipso hoc proverbio saepe videntur ita lusisse ut *ἀπὸ νοῦ* dispertirent." Afferunt Berglerus et Brunckius huius amphiboliae exemplum e Diog. Laert. (II, 11, 118): *ὦ Κράτης, δοκεῖς μοι χρείαν ἔχειν ἱματίου καινοῦ* (*καὶ νοῦ*). Similis iocus apud Plautum invenitur (Mil. Gl. IV. 7): nam si abstinuissem *a mare (amare)*, cet. Cf. Plut. Symp. II, 1. 13: *τὴν δ — ἐμοῦσαν*. Leeuwenius, cui itidem credibile videtur e sono simili vocum iocum esse ductum, comparat facetam locutionem: *αὐλὴ τρὶς* (*αὐλητρὶς*) *πεσοῦσα κοινὴ ἔστω* (Quint. VII, 9; Diog. Laert. VII. § 62). Tales lusu literarum exstare in omni lingua amphibolias *(akustische Witze*, ut a Germanis nonnumquam vocantur, *calembours* apud Franco-gallos), cotidieque inveniri, nemo nescit. Addam animi causa exemplum minime antiquum: post fabulam Antigonae in theatro datam, hisce sc. temporibus, dixit Germanus aliquis: „*Antik? O nee!*" Praeterea non video, cur Graece dici non potuerit *ἀπὸ νοῦ πεσεῖν*, cum optime sese habeant locutiones: *ἐκπίπτειν ἐκ τῆς δόξης* (Isocr. 5, 64); *ἐκπ. ἀπὸ τῶν ἐλπίδων* (Thuc. 8, 81); *ἐκπλῶσαι ἐκ τοῦ νόου* (Herod. 6, 12); *ἐκπλ. τῶν φρενῶν* (Her. 3. 155), aliae.

animam sane suam volitare sensit deque rebus subtilibus disputare gestientem. Estne credendum Nubium Chorum ei tunc quoque insusurrasse tragoediarum scientiam? Immo vero in ficto nostrae fabulae mundo absurdum fuerit, omnia dirigere velle ad rerum naturae ipsius normam. Condonare comoediae talia libenter omnes solebant neque magis mirabantur spectatores, quod servi, rustici, mulierculae, homines de plebe in scaena Aristophanea omnes tragoedias et nosse fingebantur et *παρῳδεῖν* callide scire, quam quod in nostra fabula Strepsiadem, rei metricae imperitissimum (cf. vs. 639), nusquam contra metri leges peccare audiebant.

Quae post Amyniae minas (1277) perhibet senex — rogat, utrum putet Iovem identidem novam pluere aquam an solem eandem semper retrahere —, ea alio denuo modo tangunt spectatorum animum, alio creditoris. Putat enim creditor rusticum suas cogitationes a pecunia avocare in animo habere, intellegunt contra spectatores senem ad creditorem obturbandum uti velle sapientia, quam Socrates eum docuerat. Parum autem nunc succedit noster; nihil creditor istam sapientiam in praesentia moratur. Irridetur praesertim idcirco senex, quia quam sapientiam in Pasiam feliciter ex ipsius opinione adhibuerat, ea nunc frustra utitur. Nihilominus pertinax senex rogat (vs. 1283):

πῶς οὖν ἀπολαβεῖν τἀργύριον δίκαιο; εἶ,
εἰ μηδὲν οἶσθα τῶν μετεώρων πραγμάτων;

De industria, ut opinor, poeta ter eandem hanc sententiam Strepsiadi tribuit (vs. 1249, vss. 1257 sq., vs. 1283 sq.). Nesciens enim sic se ipsum ludibrio habet senex, seseque praebet omnium stultissimum, vanaque de se opinione obstrictum. Suspicatur deinde Amynias senem *σπανίζειν* (1285), quare contentum se fore dicit *τῷ τόκῳ*. Hic iterum apparet poetam adamare voces, quae duplicem habent notionem. Rogat senex quodnam animal sit ille

τόκος. Explicat debitor; huius autem explicatione senex satis sophistice vel potius absurde utitur, ut probet non aequum esse Amyniae argentum incrementum capere; merito igitur creditorem propelli credit.

Estne opus animadvertere, omnia haecce esse nimis stulta quam ut philosophica studia quantulumcumque per ludibrium verti spectatores potuerint arbitrari?

Huic quarto actui finem imponit Chori canticum (1303—1320), quo spectatores fiunt certiores de iis, quae seni sunt eventura. Minime obscuris verbis Chorus rustici sortem vaticinatur:

(1309) *κοὐκ ἴσθ' ὅπως οὐ τήμερον*
λήψεταί τι πρᾶγμα cet.
(1319) *ἴσως δ', ἴσως βουλήσεται*
καὶ ἄφωνον αὐτὸν εἶναι (sc. filium).

Si nondum sciret cavea, quid fabula spectet, ex his certe Chori verbis id poterat efficere. Consilium rustici pravum denuo magna cum vi denotatur (1305):

ἀποστερῆσαι βούλεται
τὰ χρήμαθ' ἃ ἐδανείσατο.

Ironice additur (1312):

οἶμαι γὰρ αὐτὸν αὐτίχ' εὑρήσειν, ὅπερ
πάλαι ποτ' ἐζήτει,
εἶναι τὸν υἱὸν δεινόν οἱ
γνώμας ἐναντίας λέγειν
τοῖσιν δικαίοις, ὥστε νι-
κᾶν ἅπαντας οἷσπερ ἂν
ξυγγένηται, κἂν λέγῃ παμπόνηρα

CAPUT VI.

De Actu quinto (vs. 1321 – usque ad finem vs. 1510).

§ 1. Pervenimus ad summi ponderis scaenam patrem inter et filium, quae perinde atque utriusque λόγου certamen multa nos docet de fabulae consilio deque poetae eximia arte cogitandique facultate. Cum semel instituerat auctor, ut Socratem Chorumque, Strepsiade satis in errorem inducto, in posterum relinqueret intactum, utque a filio pater prava levaretur opinione, coactum se vidit, siquidem in fabulae consilio perficiendo sibi vellet constare, omni filii erga patrem pietate neglecta, filium in hac cum patre controversia superiorem facere evadentem. Praeterea, ut pater occaecatus persuasum haberet *meritas* se dedisse poenas, argumentis opus erat, quae a spectatoribus minime haberentur stulta (cf. infra, p. 187).

Licet rusticus ipse sibi non mediocriter videatur astutus ac dolosus, tamen hucusque non satis callidum ac sollertem se praebuit ut perspiceret τὸν ἥττω λόγον in vita cotidiana, cives si inter sese adhibere studerent, consistere non posse. Hucusque igitur omnino non attenderat ad id, quod gratus ille acceptusque ἥττων λόγος omnem amitteret gratiam suavitatemque, in ipsum si alter adhibere conaretur. Rusticum ad id non attendisse, quid est quod miremur. At philosophos et ne Socratem quidem

illius τοῦ ἥττονος λόγου absurditatem non animadvertisse, sic ut cavillatoris esset philosophiae studiosis oculos aperire, eosque docere meliora — id certe excusari nullo modo potest! An non paululum verisimilius tibi videtur poetam tantummodo spectatoribus, si forte Strepsiadis simillimi essent, in memoriam revocare voluisse proverbii veritatem: „ab alio exspectes, alteri quod feceris," iisque ostendere absurdarum de philosophicis studiis exspectationum consequentiam?

Optime fecit poeta quod initio novae scaenae patrem caveae ostendit ἰοὺ ἰοὺ clamantem lamentantemque. Sic enim statim spectatorum quam maxime movetur attentio, rerum rationumque καταστροφήν esse exortam cum intellegunt. Postquam pater rogavit: „ὦ μιαρέ, τύπτεις τὸν πατέρα;" filii apertam ingenuamque professionem: „φήμ', ὦ πάτερ" caveae admodum placere, facile est intellectu. Etenim licet ordinis rerum funditus eversi imagines in cogitatione dum existant valde permulcere possint mortalium innatum libertatis studium, nihilominus iustitiae sensus flagitat, ut illum ordinem eversum tandem denuo in integrum perspiciant restitutum. Obici potest iustitiae sensui minime congruere, quod a *filio* pater mulcetur. Attamen pater ipse auctor fuit ut filius disceret artem, qua rerum ordo *funditus* everteretur. Pietatem adeo erga patrem neglegi, en quod τὴν καταστροφὴν magis etiam patri reddit horrendam. Minime igitur ingrata spectatoribus est Phidippidis animi firmitudo, cum asseverationi suae addit (vs. 1331):

καὶ ἀποφανῶ γε, νὴ Δία,
ὡς ἐν δίκῃ σ' ἔτυπτον.

Quod spectatores iam intellegunt, sc. τὸν ἥττω λόγον nunc adhiberi in patrem perversum, qui filium coegerit suum ut artem addisceret decipiendi, — id omnino non

suspicatur pater, qui attonitus exclamat (vs. 1332 sq.):

ὦ μιαρώτατε,
καὶ πῶς γένοιτ' ἂν πατέρα τύπτειν ἐν δίκῃ;

Postquam filius patri elegendi permisit arbitrium, utra tandem ex duabus argumentationibus velit causa cadere (vide infra, p. 187), paenitere coepit patrem quod filium curavit docendum. Nihilominus audire instituit filii defensionem. Intercedit Chori strophe (1345—1352), qua patri significatur filium, qui tam audacter loqui sibi sumat, sine dubio causam quandam certam habere fiduciae. Chori deinde iussu Strepsiades rixam exponit (1353—1376), a filio semel tantum interpellatus (vs. 1360 sq.). Patri, cui admodum semper placebat Simonidis carmen „de Ariete detonso" — nimirum èt iuventutis suae èt vitae agrestis amat recordationem —, morem gerere illud cantando carmen denegat filius, τὸ κιθαρίζειν ᾄδειν τε πίνοντ' ἀρχαῖον esse contendens, Simonidemque habens κακὸν ποιητήν. Ne Aeschyli quidem quidquam recitare ei libet. Compescit iram rusticus petitque a filio ut τι τῶν νεωτέρων, ἅττ' ἐστὶ τὰ σοφὰ ταῦτα dicat. Nunc statim se praebens paratum filius canere incipit locum ex Euripide satis indecorum. Pater filiolum conviciis incessit; deinde maledicta in se invicem trudunt (ἔπος πρὸς ἔπος ἠρειδόμεσθα), donec filius in patrem insilit, eumque — ex patris quidem narratione — tundit, caedit, suffocat.

Apparet Aristophanem, pravae lasciviae minime indulgentem, patris a filio flagellati spectaculum offerre noluisse spectatoribus.

Ab omni praeiudicata opinione liberi si rixarum causam percensemus, filium in culpa esse facile concedimus. Neque fieri potuit, quin ita rem sibi fingeret poeta. Etenim habeat necesse est filius causam *debiliorem*, quam τοῦ ἥττονος ope λόγου reddat *superiorem*. Sic adduci tantum potest rusticus ad paenitentiam, quod filium voluit doceri non

philosophiam ipsam, sed τὸν ἥττονα tantum λόγον, quo possit τοῖσιν δικαίοις ἀντιλέγειν (vs. 1339).

Iam inter rixandum intellexit pater suum ipsissimi filium prorsus esse depravatum; id autem tribuendum esse venerando illi ἥττονι λόγῳ, en quod homo, iudicio parum subtili partem modo rei perspiciens, nondum sentit. Cum spectatores filii causam hac in controversia inferiorem habeant, suspensi animis exspectant quibus artibus se defendat contra patrem, quem omnium malorum causam ideoque filio aliquanto ducunt nocentiorem. Quia igitur auditores perspectum habent, patrem ob prava sua consilia *meritas* daturum poenas, eius causam in universum habent *debiliorem*, filii autem *iustiorem*. Hanc ob rem merito filium rogare intellegunt (vs. 1336):

ἑλοῦ δ' ὁπότερον τοῖν λόγοιν βούλει λέγειν.

Si autem filius unice uteretur argumentatione, quae revera τοῦ ἥττονος λόγου instar a spectatoribus haberetur, fortasse patri falsis argumentis ac specie poterat persuadere se merito sumpsisse poenas, auditoribus autem non satisfaceret, quia persuasissimum non haberent rustico in posterum prorsus oculos esse apertos filiumque patrem dedocuisse prava eius studia.

Ad filii de Simonide, Aeschylo, Euripide iudicium quod attinet, minime nobis licebit statuere poetam Socraticorum referre voluisse persuasionem, tamquam stultissimam. An credis philosophum bene moratum umquam, Aeschylum ψόφου πλέων, ἀξύστατον, στόμφακα, κρημνοποιόν vocando, se Musis non initiatum esse audacter prae se tulisse? Fieri potest ut poeta tali philosophorum iudicio suis versibus sese voluerit opponere. Attamen meminisse oportet, poetam filium repraesentare debuisse tamquam τοῦ ἥττονος λόγου prorsus gnarum, τοῖσιν δικαίοις ἀντιλέγειν δυνάμενον. Quid mirum filium ἄμουσον ad ea, quae in novis fabulis insunt

inhonesta, potius attendere quam ad veram poesin veteraque utpote obsoleta aspernari. Quae porro Euripidis damno commemorare facit Aristophanes, aequo iure petere potuisset e. gr. ex ratione, quae in Sophoclis Oedipode Rege intercedit inter filium et matrem. Sic poeta in universum magis perstringere voluisse mihi videtur iuvenum delicatorum quam philosophorum artis poeticae iudicia prava. Euripidis fabularum amore fanatico flagrare videtur filius, sic ut *ὅστις οὐκ Εὐριπίδην ἐπαινεῖ σοφώτατον* dignus sit qui mulcetur (vs. 1377).

Quia inserere libuit poetae facetam oppositionem, qua ostenderet pater suam erga filium infantulum curam diligentiamque, filiique in se, contumeliose affectum, incuriam, repetenda erant verba nonnulla (vs. 1378 et 1379), quibus patris querelae praecedentibus coniungerentur.

§ 2. Per Chori antistropham (vs. 1391–1398) certiores fiunt spectatores — si nondum perspexerunt — iam filii esse *τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν*. „Si enim ille, sc. filius, qui *talia* perpetravit, hac in re dicendo evadet superior, cutem seniorum ne cicere quidem ememus." Chorus iam novum suum adhortatur (cf. de vss. 809 sqq. p. 161) *administrum*, Phidippidem, ut, persuadendi rationem (*πειθώ τινα*) conquirendo **videatur** *dicere iusta.* Sic Nubium consilio, ut Strepsiadi aperiantur oculi, inservit filius (cf. c. V § 2, p. 171). Id ipse Nubium — ex patris saltem opinione — alumnus disertis quoque verbis significat (vs. 1399–1405), ne spectatores hac de re incerti ad fabulae consilium attendere neglegant. Quemadmodum Socrates simulavit, rustici decipiendi causa, se esse Nubium ministrum, sic iam Phidippides erga patrem praebet speciem *καινοῖς πράγμασιν καὶ δεξιοῖς ὁμιλοῦντος καὶ τῶν καθεστώτων ὑπερφρονοῦντος νόμων* (vs. 1399 sq.). Socratem *τῶν*

καθεστώτων νόμων ὑπερφρονεῖν revera putat pater, revera postea accusatores contenderunt (Xen. Mem. I, 2, § 9). Num Aristophanes, num spectatores iam nunc crediderunt? Id nostra fabula minime docet; immo in fabulae fine spectatores Strepsiadem, qui talia crediderit, vident coactum ut opiniones suas falsas faciat missas, licet, spe frustratus, ulcisci instituat Socratem quasi omnium suorum errorum auctorem.

Post filii verba (vs. 1405):

οἶμαι διδάξειν ὡς δίκαιον τὸν πατέρα κολάζειν,

iam mavult pater quadrigas alere quam vapulare.

Incipit deinde argumentatio (vs. 1408), quam statim idcirco *τοῦ ἥττονος* esse *λόγου* apparet, quia filius omni pietate neglecta ex pari atque aequo cum patre colloqui sibi sumit, omniaque, quae patri, sibi aeque licere consentaneum putat. Quidni liceat par pari referre, primum observare in animo habere videtur, cum rogat (vs. 1409):

καὶ πρῶτ' ἐρήσομαί σε τουτί· παῖδά μ' ὄντ' ἔτυπτες;

Concedit pater; ex iis autem, quae excusationis instar addit: *εὐνοῶν γε καὶ κηδόμενος,* suum petit argumentum filius, cum dicit: „*ἐπειδήπερ τὸ τύπτειν ἐστὶν εὐνοεῖν,* cur *δίκαιον* non est *κἀμὲ εὐνοοῦνθ' ὁμοίως τύπτειν,* ut sic *benefacta* pensem *benefactis.*" Alterum ex eo petit argumentum quod aeque liber natus sibi videtur atque pater: aequum igitur non ducit patris corpus *πληγῶν ἀθῷον* esse, suum autem verberari quasi ipse esset patris mancipium.

Tertio loco probare conatur filius non recte *more esse receptum,* ut *filii* hoc patiantur. Etenim quoniam *δὶς παῖδες οἱ γέροντες* eorumque peccata minus excusanda sunt quam puerorum, aequius est senes plorare quam iuniores. En summi pretii argumentum, quod ex poetae sententia spectatoribus cordi esse habendum putaveris. Ne igitur credideris hic philosophorum perstringi opiniones de patria

potestate. Illud argumentum, quod optime cadit in patrem prava cupientem filiumque ad prava incitantem, minime esse *τοῦ ἥττονος λόγου* putaveris, dummodo ne *filiorum* esse mulcare patres accipias. Tale argumentum difficile esse refutatu, eo significat poeta, quod patrem nil aliud facit respondentem quam quae filius ei iam subiecerit: *numquam lege receptum* esse, ut *pater* illud a filio patiatur. Sequitur altera sanae rationis argumentatio: „legislator homo erat ut tu et ego; dicendo veteribus persuasit (*καὶ λέγων ἔπειθε τοὺς παλαιούς,* vs. 1422)." Qui poeta tali ratiocinatione spectatores curat docendos, ipsum imbutum se praebere dixerim philosophorum de legibus doctrinis, secumque reputasse necnon ipsum sensisse, quam graviter atque acerbe saepissime singulorum civium et civitatis commoda, legibus custodita, inter sese soleant confligere. Facete porro addit argumentationi filius: „quidni ego nunc legislator existam, *filiis* (!) permittens ut patres verberent. Libenter quas ante legem hancce latam accepimus plagas condonabimus." Deinde animalium veluti gallorum mores commemorat: „*ψηφίσματα* non habent, patres suos uiciscuntur si tempus hoc poscit" (cf. Avium vs. 757 sq.). Data opera hanc de bestiis observationem poeta non statim posuit post vs. 1422, ubi sermo est de legislatione, sed in fine argumentationis, ut patris vanae obiectioni praeberetur ansa: „*in omnibus rebus* si imitari cupis gallos, *τί δῆτ' / οὐκ ἐσθίεις καὶ τὴν κόπρον καὶ ἐπὶ ξύλου καθεύδεις;* (vs. 1430 sq.). In comica nostra altercatione ne exspectaveris nimis seriam argumentationem, quae uniuscuiusque verbi notionis habeat rationem. Cum promit pater voces: *ἐπειδή.... ἅπαντα μιμεῖ,* detorquet filii verborum sententiam: *τί διαφέρουσιν ἡμῶν ἐκεῖνοι,* quae verba minime designant filium *in omnibus rebus* gallos *imitandos* esse censere. Recte igitur observat filius:

οὐ ταὐτόν, ὦ τᾶν, ἐστίν, οὐδ' ἂν Σωκράτει δοκοίη 1).

Pater, cui iam placet responsum Socratem hisce in rebus bestias imitari non velle — hucusque stultissimas opiniones philosophis solebat adiudicare —, ex ea Socratis opinione concludendum esse censet, filios non magis decere *τὸ τοὺς πατέρας τύπτειν*. „*Itaque*" — sic pergit — „noli verberare (*πρὸς ταῦτα μὴ τύπτ'*), ne te postea paeniteat." Filio, quid sibi velit pater non satis intellegenti, rogantique: *καὶ πῶς;* (quid ita?), respondet Strepsiades, qui, specie tantum intrepidus, metu verberum iam denuo pavidissimum se praebet, omniaque molitur ne iterum vapulet: „aequum est ut ego te castigem, tu autem olim filium tuum." Hanc observationem non multum valere ostendit filius: „si autem mihi non erit filius, frustra ploravero, tu autem me irridens morieris" (*σὺ δ' ἐγχανὼν τεθνήξεις*, i. e. a me numquam mulcatus de vita decedes; non recte Ernesti: tu autem *prae risu* morieris). Hisce tandem verbis convincit filius patrem, adducitque ad professionem (1439):

κλάειν γὰρ ἡμᾶς εἰκός ἐστ', ἢν μὴ δίκαια δρῶμεν.

Revera Strepsiadem, quia per totam fabulam prava cupientem se praebuerit, poena esse dignissimum, nullus spectator nescit. Ipse autem rusticus non satis sibi animi caecitatis conscius esse videtur. Qua re ut magis etiam in angustias adducatur a filio, necesse duxit poeta. „Ad aliam insuper sententiam attendas," sic pergit filius. Novae argumentationis metu iam ad desperationem redactus, exclamat pater: „*ἀπὸ γὰρ ὀλοῦμαι.*" — „*Si me audiveris*," sic fere loquitur filius, „fortasse non amplius gravaberis quod modo a me es verberatus, i. e. mihi gratiam habebis ob

1) Kockio igitur annotanti ad vs. 1432: „Pheidippides ist offenbar in Verlegenheit und sucht sich hinter einer Auctorität zu verstecken" cet, non assentior.

ea, quae tibi probare in animo habeo." Propriae utilitatis numquam immemor, rogat curiosus noster (vs. 1442):

πῶς δή; δίδαξον γάρ, τί μ' ἐκ τούτων ἐπωφελήσεις.

Respondet filius:

τὴν μητέρ' ὥσπερ καὶ σὲ τυπτήσω.

Hoc rusticello nimium est, cui scilicet — ut fit! — subito uxor est carissima. Tandem filii verbis:

τί δ', ἢν ἔχων τὸν ἥττω
λόγον σε νικήσω λέγων,
τὴν μητέρ' ὡς τύπτειν χρεών;

melius docetur pater, qui resipiscens illum ἥττω λόγον, olim desideratissimum, iam putat exsecrandum. „In barathrum quominus iniciat se ipsum filius cum Socrate et peiorem illum sermonem, nil obstabit, si argumentis probare instituerit matrem verberari oportere." Hic rideri Strepsiadis credulitatem eiusque τοῦ ἥττονος λόγου metum fastidiumque, nemo non videt. Socratem revera docuisse matres esse contemnendas, quis credat? Immo, vel morosam matrem iussit diligi philosophus noster (cf. Xen. Mem. II. 2.)

Suorum malorum culpam suae ipsius attribuere stoliditati rerumque cognitioni ieiunae, rusticello ne in mentem quidem venit. Omnem igitur culpam confert in Nubes (vs. 1452):

ταυτὶ δι' ὑμᾶς, ὦ Νεφέλαι, πέπονθ' ἐγώ,
ὑμῖν ἀναθεὶς ἅπαντα τἀμὰ πράγματα.

Respondet Chorus: „Tutemet ipsi horum malorum es causa, quia te ipsum ad mala convertisti facinora." — „*Quidni*," rogat Strepsiades, „*me antea monuistis? cur ad summas me hominem agrestem adduxistis exspectationes?*" Tunc sequuntur illa Chori verba iam a nobis citata, quae ad totius fabulae consilium cognoscendum maximi sane sunt ponderis (vs. 1458 sqq.):

ἡμεῖς ποιοῦμεν ταῦθ' ἑκάστοθ' ὅντιν' ἂν
γνῶμεν πονηρῶν ὄντ' ἐραστὴν πραγμάτων,
ἕως ἂν αὐτὸν ἐμβάλωμεν εἰς κακόν,
ὅπως ἂν εἰδῇ τοὺς θεοὺς δεδοικέναι.

Tandem post tot discrimina rerum rusticus oculis cognoscit apertis se erroribus fuisse captum conceditque se merito acerbis affectum esse iniuriis (vs. 1462 sq.):

οἴμοι, πονηρά γ', ὦ Νεφέλαι, δίκαια δέ.
οὐ γάρ μ' ἐχρῆν τὰ χρήμαθ' ἁ 'δανεισάμην
ἀποστερεῖν.

In hunc modum poeta rationi, quae inter Chorum et Strepsiadem intercessit, imposuit finem, quae spectatoribus omnino satisfaciat necesse esse dixerim: rustici enim paenitentia, Chorique bona mens rectaque voluntas patefacta placant aequitatis iustitiaeque sensum.

Quo autem pacto se praebere debeat rusticus in Socratem Phidippidemque, iam quaeritur. Poeta hanc rationem ex personarum rerumque natura ipsa deduxit. Strepsiades, quem pravi sui consilii iam paenitet, Socrati condonare nullo modo potest, quod sibi tam egregie imposuit Nubesque omnium fraudium fautrices esse simulavit.

Ea Socratis culpa supplicio est expianda. Spectatoribus id iniquum non videri, facile intellegitur, etenim Socratem data opera rusticellum fefellisse sciunt. Quoniam autem eius culpam eo imminui perspiciunt, quod Strepsiadis salutis commodique ergo montes tantum promiserit aureos, necesse est, ut minus attendant ad Socratis culpam quam ad Strepsiadis iram ulciscendique cupiditatem, quae nimirum ab inculti agrestis indole minime abhorreat. Nil igitur insoliti inest in patris ad filium adhortatione (vs. 1464 sq.):

νῦν οὖν ὅπως, ὦ φίλτατε,
τὸν Χαιρεφῶντα τὸν μιαρὸν καὶ Σωκράτη
ἀπολεῖς μετελθών, οἵ σε κἄμ' ἐξηπάτων.

Filius autem, qui non Socraticos sed patrem in culpa esse sentit, patris ultioni operam praebere denegat (vs. 1467):

ἀλλ' οὐκ ἂν ἀδικήσαιμι τοὺς διδασκάλους.

Sic iam filio philosophi non amplius ut antea (cf. vs. 102 sqq.) sunt ingrati fastidiique pleni. Ut decet discipulum, eos aestimare ac diligere didicit: nil enim mali ab iis est expertus, idque hoc uno tantum versu significat. Patrem contra philosophi ipsius opinionis fecerunt ludibrium, idque optimo iure, quia sapientibus ea opinio quam maxime offensione erat plena. Spectatores igitur filii quoque recusatione adducuntur ad meliorem de philosophis opinionem, siquidem est accipiendum ipsorum sana ratio, experientia, fabulae consilium eos nondum satis adduxisse ut falsas de philosophicis studiis cogitationes facerent missas. Festive haecce ratio filium inter et patrem, superiori rationi *prorsus contraria* — olim enim filius oderat philosophos, pater contra *τοῦ ἥττονος λόγου* ergo adorabat —, nostrae fabulae exitum reddit attentione dignissimum. Etenim filium, meliora doctum, nunc monendum esse censet pater, ut caveat illam philosophorum *de diis* opinionem, quae ipsi olim tantopere fuit grata. Apparet rusticum *adhuc* Socraticos Iovem popularesque deos contemnentes sibi fingere verissimaque habere omnia quae Socrates ei imposuerit. Iam ut filium ad ultionem impellat, monet ut Iovis patrii sit memor, quem illi aspernantur (vs. 1468):

ναὶ ναί, καταιδέσθητι πατρῷον Δία.

Facere non potest filius, quin patrem nunc habeat ludibrio, ad verba nuper a patre dicta alludens: *ἰδού γε Δία πατρῷον· ὡς ἀρχαῖος εἶ* (cf. vs. 818, 1240 sq., 916). „Iam denuo credis Iovem esse? (*Ζεὺς γάρ τις ἔστιν;*)" Aperte atque sincere affirmat pater: „*ἔστιν*," eo responso signifi-

cans ipsum sese ad meliorem recepisse frugem. Pergit filius ludificando eum vexare (vs. 1471):

οὐκέτ' ἔστ'[1]) ἐπεὶ
Δῖνος βασιλεύει τὸν Δί' ἐξεληλακώς!

„Non expulit," respondet pater, misere deceptum se sentiens, „sed ego id olim credebam ob illum *δῖνον*" (quid sit, utrum *turbo* an *vas*, nondum satis intellexisse videtur) „quem nimirum e terra fictili factum" (quemadmodum ipsius δῖνος κεράμειος (cf. Schol. ad Vesp. 618) vel χυτρεοῦς), „pro vero habui deo."

Satis habet filius patris desipientiam resque nugatorias, qua re discedit, patrem sorti committens (vs. 1475):

ἐνταῦθα σαυτῷ παραφρόνει καὶ φληνάφα.

Quaenam sint Strepsiadis, cogitationibus suis relicti, animi affectiones meditationesque, iam spectatoribus significatur. Quod se insanum dementemque praebuit, quam maxime rusticellum paenitet. Socrati autem ignoscere non potest, quoniam persuasum habet eum deos contemnere, filiumque suum omnino depravasse!

Quid mirum rusticum Mercurium precari non solum ut sibi ignoscat se ἀδολεσχίᾳ indulgentem delirasse, sed etiam ut se consilio adiuvet atque quo modo Socratici sint ulciscendi significet. Hermae simulacro parumper praebens aurem instinctu afflatuque divino instigari sibi videtur, ut τῶν ἀδολεσχῶν domum incendio deleat. Ultionis indulgens cupiditati in tectum ascendit, σμινύῃ (ligone) armatus. Rogatus a discipulo aliquo quid faciat (vs. 1495), gloriose exclamat:

ὅ τι ποιῶ; τί δ' ἄλλο γ' ἢ
διαλεπτολογοῦμαι ταῖς δοκοῖς τῆς οἰκίας;

Socrati mox idem roganti, acerbe ac mordaciter respondet irae plenus:

---

1) Ita Porson. V R.: οὐκ ἔστ', οὐκ.

ἀεροβατῶ καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον!

Ridicula haecce omnia esse, quis non sentit. *Optimo iure* Socraticos se ulcisci persuasum sibi habet agricola utpote ab iis misere deceptus. Quia spectatores non eiusdem sunt opinionis atque vesanus noster, facile rustici damno cachinnis indulgent. A Socrate poetae comico gratia est habenda, quod spectatores de ἥττονι illo λόγῳ docuit meliora.

En fabulae exitum èt apte deductum a rustici indole, implacabili iam odio sapientem fallacem persequentis, èt optime concinens cum philosophi dignitate, nil amplius in agricolam agentis ideoque non deflectentis a praeclaro illo: τὸ ἀδικεῖν τοῦ ἀδικεῖσθαι κάκιον (Plato Gorg. 473 A).

Si poeta fabulam ita disposuisset, ut in eius fine Strepsiades, meliora doctus, cum Socrate rediret in gratiam, fabulae exitum reddidisset languidum frigidumque (cf. quae Lessingius dixit de comoediarum exitu, Hamb. Dramat. XCIX p. 581 edit. Schröter u. Thiele). Quae autem pugna inter Socratem et Strepsiadem eo intercedit, quod huic, minime honorificae de philosophis opinioni indulgenti, Socrates merito egregie imponit, eam post τὴν quae dicitur καταστροφὴν non videmus compositam vel diiudicatam, sed in eum modum continuatam, ut rusticum usque ad fabulae finem quam acerrime cum philosophis cernamus contendentem. Itaque poeta, ex amborum adversariorum moribus ac indole deducens finem, effecit ut extrema fabula non minus quam media spectatorum caperet animos.

CAPITUM CONSPECTUS.

PROOEMIUM.

Pagg.

De singulorum civium libertatis studiis reipublicae saluti saepe oppositis 1

DE NUBIUM FABULA.

PARS PRIOR

De utriusque *Λόγου* certamine (vs. 889—1105).

C. I. Cur poeta Improbum fecerit vincentem 27

C. II. De Probi atque Improbi comica oppositione 39

C. III. De variis virorum doctorum de certamine opinionibus 58

ALTERA PARS.

Quaenam intercedat ratio inter rustici ac philosophi (Chori, filii) partes.

C. I. De totius fabulae proposito 72

C. II. De Actu primo (vs. 1—512) 82

C. III, *A*. De Chori Parabasi (vs. 513—626) 135

B. De Actu secundo (vs. 627—813) 144

C. IV. De Actu tertio (vs. 814—1130) 161

C. V. De Actu quarto (vs. 1131—1320) 166

C. VI. De Actu quinto (vs. 1321—1510) 184

THESES.

I.

Aristot. de Arte Poetica C. XIII (p. 1453*a*):
ἀνάγκη ἄρα τὸν καλῶς ἔχοντα μῦθον ἁπλοῦν εἶναι μᾶλλον ἢ διπλοῦν, ὥσπερ τινές φασι, καὶ μεταβάλλειν οὐκ εἰς εὐτυχίαν ἐκ δυστυχίας ἀλλὰ τοὐναντίον ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν, μὴ διὰ μοχθηρίαν ἀλλὰ δι' ἁμαρτίαν μ ε γ ά λ η ν cet.

Vocem μεγάλην emblema esse censeo; legendum est δι'ἁμαρτίαν τινά.

II.

Aristot. de Arte Poetica c. V (1449 a):

ἀλλὰ τοῦ αἰσχροῦ μόριόν ἐστι γελοῖον.

Nil mutandum esse censeo, Christioque, legenti ἀλλὰ <κατὰ τὸ γελοῖον,> τοῦ <δ'> αἰσχροῦ ἐστι τὸ γελοῖον μόριον, non assentiendum.

III.

Aristot. ibidem:

τὸ γὰρ γελοῖόν ἐστιν ἁμάρτημά τι καὶ αἶσχος ἀνώδυνον καὶ οὐ φθαρτικόν, οἷον εὐθὺς τὸ γελοῖον πρόσωπον αἰσχρόν τι καὶ διεστραμμένον ἄνευ ὀδύνης.

Non recte Theodorus Gomperz vocabula τὸ γελοῖον πρόσωπον· comprehendit vertitque per: *die lächerliche (komische) Maske.*

IV.

Aristophanis Eccles. versum 2, quem Velsenius legendum arbitratur:

κάλλιστον εὐστόχοισιν ἐζητημένον,

non recte emendatum censeo. Propono:

μάλιστα τοῖς σκοποῖσιν ἐξητημένον.

V.

Aristoph. Nub. vs. 149 sqq.:

κηρὸν διατήξας, εἶτα τὴν ψύλλαν λαβὼν
ἐνέβαψεν εἰς τὸν κηρὸν αὐτῆς τὼ πόδε·
κᾆτα ψυχέντος περιέφυσαν περσικαί.

Herwerdeni coniecturae *ψυχέντος* praestat codicum lectio *ψυγείσῃ*.

VI.

Propert. III, 32 (34) vs. 31 (Luc. Mulleri ed.):

Tu satius memorem lusus imitere Philetam.

Lege: Saucium amore tuis Musis imitare Philetam.

VII.

Liv. V, c. 52 § 10:

tamquam veterum religionum memores.

Pro *tamquam* legendum *quamquam*.

VIII.

Horat. Sat. II, 3, vs. 258 sqq.:

amator
exclusus qui distat, agit ubi secum, eat an non,
(quo rediturus erat non arcessitus) et haeret
invisis foribus? „nec nunc, cum me vocat ultro;
accedam? an potius mediter finire dolores."

Kiesslingii lectio: „*ne* nunc, cum me voc*et* ultro, accedam", vulgatae lectioni: „*nec* nunc, cum me voc*at* ultro" cet, praeferenda est.

IX.

Curt. Rufus IX, 1, 25:

Si quos insignes aut aliqua parte membrorum *inutiles* notaverunt, necari iubent.

Pro *inutiles* lege: *mutilos*.

X.

Frederico Cauero non assentior contendenti ex quibusdam Curtii Rufi locis (VI, 11, 39; VII, 1, 1; VII, 1, 13 VI, 7, 33) apparere hunc scriptorem sibi habuisse persuasum Philotam fuisse in culpa (Jahrb. f. Cl. Philol. 20ster Supplementband, 1894, p. 20).

XI.

Philotas iudicio iniquissimo, cum eius culpae indicia non sufficerent, capitis est condemnatus.

XII.

Arrianus in fabulis de Baccho enarrandis (Anabas. V, 1, 2, 3) credulum verecundumque se ostendit, neque tenuit grave et severum iudicium, quod ceteroquin in eiusmodi narrationibus percensendis exercere solet.

XIII.

Arrianus in ea parte librorum, ubi Alexandrum cum Baccho contulit et de rebus ab hoc deo in India gestis egit, non *Eratosthenem* est secutus, ut opinatur Droysenius (Gesch. Alex. d. Gr., Beilage II, p. 412), sed *Clitarchum* et *Onesicritum*.

XIV.

Tabula pontificis initio eo consilio proponebatur, ut inserviret sacrorum necessitatibus.

XV.

Protagoram, studentem ἐπιδεῖξαι, ὡς διδακτόν ἐστιν ἡ ἀρετή, mythum de Prometheo narrando (Plat. Prot.) contrarium eius rei, quam probare conatur, probasse censeo.

XVI.

Iniuria E. Koch (Griech. Studien H. Lipsius dargebracht, 1894, p. 11 sqq.) τὸ ληξιαρχικὸν γραμματεῖον appellatum esse censet ἀπὸ τοῦ λαχεῖν τὰς ἀρχάς.

XVII.

Non audiendi sunt ei, qui ex Lysiae auctoritate (*περὶ τοῦ σηκοῦ* p. 110 § 22, *κατ' Εὐάνδρου* p. 176 § 11) perhibent Archontibus iam per annum, quo magistratum gererent, ius fuisse in Areopago suffragii ferendi.

XVIII.

Propert. IV, 8 (9), 12 (Luc. Mulleri ed.):

Parrhasius parva vindicat arte locum.

Iniuria H. Brunn (Gesch. d. Griech. Künstler II Band, p. 174), Beroaldum sequitur, *Pireicus* pro Parrhasius legentem.